EQVITIS LITVANI DE BELLO LIVONICO.

per Decennium gesto.

VILNÆ,
Apud Ioannem Karcanum.
Anno 1610.

REGI.

REIPVBLICAE.

POSTERITATI.

Liuonia regni tui eſt, omnia quibus imperas, Regnum, ex hoc vtriuſq; fortunæ principium, quãdo defendis, & quãdo negligis. Quamcunq; Prouinciam habes, vicinum huic, amicum, vicinum & hoſtem habes, alterũ ſuperabis fortunà, alterũ retinebis. Regnum, vt alia omnia, habet inuidiã, pluſquã omnia,

insidias. Exemplũ Liuonia est, amicus & hostis Sudermanus: hũc quotiescunq; vincis, hostem habes neminem. Cauendum est ne lædatur fortuna. Hostem habere graue est, de Regno contẽdere iniuriosum. Quod tibi inuictissime REX Liuonia, exẽplum tu reliquis Regibus; immitabuntur virtutem. Regnũ tueri, militum virtute, Patriæ amore, duo media sunt.

VOBIS PATRES PATRIAE Liuonia Patrimoniũ est, sanguine

ne à maioribus partum, eodem precio ab hoste modò defensum. Fortes, qui, eadem qua acquiritis, virtute retinetis, & iustitia ea demum est, quæ debeatis cognoſcere, ſumptibus vos, ſudore et ſanguine patriã nos defendimus. Nonne hactenus in Liuonia partæ victoriæ Laudi veſtræ, nonne gaudio fuere? Cum tales triumphos agitis, immortalitati nomina datis, imò fines patriæ dilatatis. Qui enim amiſſum recuperauit, nouũ fortunæ be-

 nefi-

neficium accepit. Miſera, ſors
eorum & fæda eſt, quibus pa-
tria erripitur: Vos periculũ vin
cere periculo, Patres, cauete.

POSTERITATI, vobis qui in no-
ſtrũ æuum ſuccedetis, Peculiũ
noſtrũ Liuoniã hyſtoria dicet;
effuſus ſanguis quẽ hic cogno-
ſcetis, nõ degeneres animos ve-
ſtros ſuſcitabit ad virtutes, ad
gloriam: legite, veſtræ memo-
riæ feci, & imitatores veri non
ſpeculatores eſtote.

DVO me potissimum in hanc sententiã adduxêre, vt res Liuonicas (de quibus hactenus nemo, siue ignorãtia rerũ, siue fastidio ipsius operæ atq; leui æstimatione) nõ sine ope Diuina succedenets, in tam atroci bello, quod decem annos iam cum Carolo Sudermaniæ Duce geritur suscipere͂; Ne effusus tam latè conciuium nostrorũ cruor absq; memoria in patriam humum decurreret; neuè iniusti belli causa, quam, in clade͂ aliquam nostrorum, in perniciem suorum bellator iniquus attulit, simul cum strepitu armorum & clãgore tubarum, intra oram Liuoniæ interiret : demum egregia virtus atq; ingerendis bello rebus, singularis prudentia fortunaq; Illustr. Comitis Ioannis Caroli Chodkievvicž, cui in virtutes militum summum regimen datum est, (cuius ipse ego annos septem miles secundum ductum secutus patriam armis tuebar) ardentiore͂ fecit. Cæterum ne longior in curia vel negligentia, quæ iam vergere cæpit ad iniquissimum memoriæ hoste͂ obliuionem) detruderet res tanti viri gestas, in lucem producere, à capulo ad calamum desuetas manus dirigere, humili neq; erudito stylo, literis, quæ ob res bellicas inuentæ sunt, celebrare animus persuasit. Laudaui semper hoc genus vitæ, in quo homines non modo famam nomini suo mercantur, benê, de

patria merentur, memoriam poſteritati antiquiſſimam quærunt, ſed & Deo æquitatis vindici, quã diligentiſsimè placere ſtudet: Militiam iſta militibus quæ pro cultu Diuino, pro integritate patriæ, ſuſcipitur, largè adſerre, atq; impertiri, omnes cognouerunt, Ad id me vitæ genus, quod in Liuonia exerceri moderatore Illuſt: Comite Chodkievvicz ipſe vidi, contuli, atq; ex eo tempore, quo, magnus ille virtute, ingenio, rebus geſtis Cancellarius & exercituum Regni Poloniæ Dux, Ioannes Zamoyſcius, e Liuonia diſceſsiſſet, penes quem tum temporis iuuentutem meam ad bonas res applicando, ignotam licet egeram & militiæ nomen dedi.

Porrò cũ iã res Liuonicæ aliquãto tẽpore ab Año Chriſti 1599 bello actæ in anguſtias veniſſent, arces munitiſsimæ quæq; & vrbes natura & opere non ignobiles in manus hoſtiũ veniſſent, nõ vi, neq; virtute hoſtium, ſed inopinatà & clandeſtinà inuaſione. Prouinciã Liuoniæ ferme totam occupauerat Sudermanus, latè agros, oppida, vicos, ẽſe & igne depopulatus: neq; huic malo tam cito obuiam itum eſt: Reſpubl: Lituana, cui tunc Liuonia tanquam vicinum periculum defendenda incumbebat, paratum exercitum non habuit, modo primùm cum ita ignis hoſtilis exarſiſſet, conſcribere militem, parare exercitum, ire cõtra hoſtem Patriæ ſtatuebat.

Illuſt.

Illuſtr. Princeps Chriſtophorus Radiuilus Palatinus Vilnæ, exercituũ Lithuaniæ præfectus, quàm potuit celerrimè manum militum collectam in Liuoniam cum Ioanne Sycinski præmittit, ipſe poſtea cum exercitu ſub Kokonhauſenſi arce, quam noſtri, oppidum verò hoſtes habebant, conſedit. Arx & oppidum ad Dunam fluuium in rupe excelſa ſitum, loci natura & vallorum apta ſtructura apprimè munitum, id primo expugnare ab obſidione ſuos liberare, animus & prima cura Duci fuit. Dũ tentamina & alias machinationes in oppidum ſtruunt, ſignificatur aduentus Caroliſani, in auxilium oppidanis: Huic Dux obuiam cum aliquot cohortibus Ioannem Sycinski miſit, is ad Orle profligato fugatoq; hoſte ad caſtra reuerſus victoriam Duci auſpicatus eſt. Interim, dum in obſidione morãtur, hoſtis cum maiori exercitu aduentare per exploratores ſignificatur, relinquũt inchoatam operam, nouam ineunt curam quærendi commodum ad pugnã locũ præparandi ad prælium, & licet omnibus eadem virtus vincere ſeu occumbere pro Patria fuit, tamen cum multò inferiores numero eſſent, terrebat aliquos multitudo hoſtium non virtus, exploratorum etiam garrulitas ignoti hoſtis minas aperiebat; inde anxietas & cõſternatio, quæ inter milites exoriebatur, Ducem vſq; peruenit & commouit. Fuêre in eo exercitu multi ex Proceribus

ribus Lithuaniæ nobilitas ferme præcipua tunc confluxerat, & ad defendendam Patriam prompta & obtinendæ genti famæ auida: Ex ijs Illustr: Radiuili non paucas copias proprijs sumptibus eduxêre. Nicolaus Christophorus Palatinus tum Trocensis, equites hastatos CC. centum leuioris armaturæ, pedites centum; Georgius Castellanus Trocensis centum equites hastatos quinquaginta pedites. Ianussius Pocillator Litu. centum equites hastatos, velites centum. Reuerendis. Episcopus Vilnensis Benedictus Woyna centum hastatos, totidem leuioris armaturæ equites. Illustris. Chodkiewiczy, Hyeronimus Castellanus Vilnæ, centũ equites hastatos, totidem pedites. Ioannes Carolus Ducatus Samogitiæ, generalis Capitaneus, ducentos hastatos, equites centum Kozakos & cencentum pedites. Nicolaus Naruszewicz Castellanus Samogitiæ, centum equites hastatos. Alexander Holowczynski centum velites. Theodorus Lacki aliquot decurias hastatorũ: Et cõplures alij voluntariam professi militiam, sumptus suos, alij qui aderant vitam suam, pro integritate Patriæ vouerant. Dux etsi, multos & ingenio, & rebus bellicis viros claros haberet, cum quibus mutuo de hoste acceleran te conferret, atque ex cõsilijs victoriã quæreret, Ioannem Carolum Chodkiewicz, inuitum tamen, cuius prudentiam in magnani-

gnanimitate perſpexit, inſocium fortunæ imminen-tis pugnæ adſciuit: Narrabatur iam prope Caro-liſanus cum exercitu eſſe, egrediuntur noſtri è ca-ſtris, Generalis, ipſe cũ ccc. equitib9, & aliquot ve-xillis peditum ad viam, quæ ducit ad Orle, proceſ-ſit, atq; illic ad radices montis, hoſtem præſtolaba-tur, veritus ne aggeres foſſæq;, quibus oppidanos cinxerat, & in ijs mille pedites reliquerat, in pe-riculum deuenirent, illa quoq; via potiſsimum ſpe-rabatur hoſtis. Reliquum exercitum Ioannes Ca-rolus Chodkiewicž vlterius a caſtris ad campum deduxit; is erat medius inter Dunam vt colles & ripæ fluminis cedunt, aut eminentia montium re-ſiſtũt inæqualiter ſinuatus, pone tergũ fluuius Du-na, a latere ſiniſtro palus & ſylua editis in altum ramis, è regione ruina templi cõſpiciebatur, quem locũ hoſtis ſtagnis, ſaxorumq; cumulis circumſe-ptum & tormentis munitum inſederat. Noſtrum exercitum ita inſtruit Comes; in prima acie frontẽ ex cohortibus Illuſtr: Nicol. Chriſtoph. Radziuił Palatini tum Trocenſis ponit, dextrum cornu, Dux Ianuſsius Radziwił cum phalãgibus Illuſt. Caſtell: Trocenſis & Samogitiæ, tenet; ſiniſtrum cornu; ſuis militibus tuendum committit; Auxiliares fuerunt Epiſcopi Vilnenſis, Caſtellani Vilnenſis, Palatini Trocenſis ſclopetarij. In ſecunda acie omnes ſti-pendiarij; Illuſt: Chriſtophorus Monuid de Doro-

 ſtaie

ſtaie, Marſchalcus Lithu. cum ſuo agmine frontem occupauerat, dextrum cornu Euſtachius Tyſzkiewicz Capitaneus Layſenſis, ſiniſtrum Ioannes Sapieha tenuêre; Horum ſubſidiarij ad paludē à latere ſiniſtro in colle, vbi tormēta & pedites ſyluæ texerant, cc. equites lanceati Ioannis Sycinski, totidem Petri Stabrowski Caſtellani Parnauiæ fuerunt, velitum centuriones cū ſuis ſignis ibidem omnes adſtiterant. Cū ita acies iā ordinatæ eſſent, diſploſa tormēta principium pugnæ dedere, apparentes hoſtes è ruina illa depellebantur, hinc clamore, ſublato concurrêre interſe exercitus, pugnatum eſt duabus ferme horis, non ſuſtinent vires, mox Suecorum acies nouiſsimæ, in ſyluas impetum faciunt, noſtri cōcitatis equis directisq; intergora haſtis, niſu ſuo, vi equorum deiciunt hoſtes, illi qui cum Duce in monte fuerunt, in auxilium decurrūt; pars itaq; telis miſsilibus, pars machæris cædunt profligāt; inſequūtur hoſtem, pedeſtres ad eandem ruinam cum caſtris manſêre; Inſtauratur pugna, omnis peditum acies cæſa, tormenta ſexdecim accepta; ſumma tum deuictæ pugnæ duo millia cæſorum, multi capti. Peracto tam acri feliciter prælio, deditio oppidi coacta eſt, ſponte hoſtes è mænibus vexilla ſua proiciūt, ſigna deditionis exponunt, in aduentum Ducis ſupplices prouoluuntur, data fide, liberè ex oppido, omnes dimittun-

mittuntur, quos postea inter montes & syluas lixæ & calones inscio, Duce, adorti trucidarũt, & in securos sæuierũt (iniquè quipiam iussu Ducis affirmãtes cõuicia in virtutẽ iaciũt.) Atq; hæc anno 1601. euênere Recepto itaq; Kokõhausio, soluta arcis ob sidione diuidebatur exercit⁹; Dux ipse cũ mercenario milite Vẽdã versus pergit, Comes Chodkiewicz iussu Ducis manũ voluntariorũ ad Siguultũ Treydenem, Cremonemq; promouet; tria hæc in vno campo ad ripas fluminis Gawiæ, tribus quondam filijs erecta conspiciũtur castella: Siguoltum Treydenemq; Suecus habebat, vtrumq; profundissimis fossis cinctum per deditionẽ capit. Sub idem tempus Vendam metropolim Prouinciæ Dux oppugnat; Vrbs muro circumualata, & fossis munita tormentorum iaculis petitur, deiecta parte muri, excusso crebrioribus impressionibus foramine, deditionem fecit. Tali rerum successu permotus Dux collectis iterum copijs iter ad Runenburgum imperat, sed pleriq; voluntariorum recusant atq; è castris cis Dunam discedunt, paucis in eorum locum I[ll.] Friderico Curlandiæ Duce cum CC. equitibus Germanis, Samuele Wolowicz cap. Molczacẽti cũ quinquaginta hastatis. Ioañe Tyszkiewicz Skumin, cum sexaginta equitibus, totidẽq; peditibus, receptis, deuenit Runẽburgum Arcem in colle inter mẽtes sitam, ex vña parte alto vallo,

ex altera binis intericcta fossa muris, circũdatam, crebris turribus ac tormẽtis munitã circũquaq; inherẽtibus arbustis, sine vlla prope planitie obsidere cæpit, & dum aliquot hebdomadis rerũ vario molimine indeditionem cogit, atq; effectum rei breui sibi pollicetur, exploratores adferũt properũ Sudermani cum decem millium exercitu aduentum, Dux, tum paucitate exercitus sui commotus (non plura enim quam tria millia numerabãtur ex his) peditum quidam assidui laboris onere pressi profugerant, quidã ob vires debilitatas inualidi) tum propter angustias ad præliũ loci, castris inde motis ad vrbem Vendam proximè receptam recedit, in loco ad prælium apto & perquam munito castra metari iubet, ex quibus postea frequentibus excursionibus militum suorum (tribus enim milliaribus à castris nostris hostium castra distabant) affligebat hostem & abigebat. Fuêre etiam aliæ rationes ex graui & diuturna deliberatione Ducis sumptæ, videlicet vt eò facilius cũ copijs Regijs, quas Ill. vir Stanislaus Zolkiewski cãpiductor exercitus Regni, ducebat, atq; iam ex hac parte Dunæ narrabatur, in auxilium veniret; Metuitquoq; ne tam claram nobilitatem, & ferme florem Lituaniæ indiscrimen adduceret: demum haud possibile erat tantis hostium viribus resistere? Igitur consultius visum erat Duci, ferre eos vsq; Rigam, vt interim

rim exercitus Regni a tergo iret hosti, quò citius tã procul à classe sua deductus indiscrimen adduceretur, præmissis impedimentis bellicis, retento per vnius vel duorum dierum spatium exercitu, tẽtando fortunam atq; indagatione vigilum affligendo, lento gradu sustinebat hostem, & sæpius de se, de strategematibus in hostẽ ita factis, Ioanni Zamoyscio Copiarum Regni Stratego significabat, & ne tantam occasionem qua hostis superari, & Patriæ securitas finisq; bello imponi posset, intermitteret, diligenter rogabat; sed irritæ fuêre preces inania vota; Neq; enim exercitum misit, neq; ipse mouere se loco voluit, neq; Campiductorem Zolkieuium, cum lachrymis preces eius causa vt mitteretur adhibentẽ, ire in auxiliũ permisit, res (certissimum est) quæ tanta hactenus nostrorum clade fuit, finem tum habuisset, & profligatio hostis gẽnti nomen antiquũ peperisset: Ignoramus, quà ratione, aliâs vir prudentissimus & Patriæ amantissimus id fecerit? sed vt vulgus suspicabatur inuidiæ signa fuêre. Peruenerunt nostri Rigam, ibiq; ante suburbium castris positis, quatuordecim ferme dierũ inter vallo, auxilia frustra operiebantur, sed quia neq; locus, ad dimicãdum propter frequentes colles, & profundam arenam aptus, neq; castra figi ideò commode possent, exiguitas quoq; comeatus exercitui terrori fuisset, & crebræ auxiliorum pe-

 titiones

titiones ſpem ademiſſent, omnes ad exercitum regni, qui ex altera parte Dunæ erat, commigrarũt: Obſidio interim Rigæ ſecuta eſt, inqua Ill. Comes Chodkiewicz, cũ iã nõ exiguos ſũpt9 pro patria ſua auidus gloriæ, feciſſet,vt in ea quoq; occaſione bene de Patria mereretur,& virtutem ad omne periculum intrepidam oſtenderet, deniq; vt tãto ſecurior ciuitas eſſet (etſi nihil de perfidia ciuium ſuſpicabatur, tamen quia in tali caſu timor miniſter malorum ſit) ipſe ad excubias agẽdas ad animãdos Rigenſes vltrò ſe obtulit ; cum eo multi nobilium Generoſ. Andreas Wolowicz vexilifer M. D. L. Ioanes Tyſzkiewicz Skumiń Cap. Braſlau: Theodorus Lacki, & plures, alij manſère. Riga vrbs ad Dunam latiſsimum rapidiſsimũq; fluuium ſita, emporium totius Prouinciæ celeberrimum, vallo ſublimi cincta, & foſsis profundiſsimis circumuecta tormẽtorum magná copià munita, populoſa, libera, mercimonijs & opificijs clara,integro mẽſe obſidebatur : In eã Sudermanus omnes conatus ſuos atq; machinationes conuerterat vt rerum potiretur; ſtimulabat eum vis ſpolij, quod poſt captam vrbem ſibi ſuiſq; militibus promittebat, Propugnaculum fortiſsimum in inſula Dunæ exſtruxit foſsis aggeribuſq; communiuit, & cum iam machinationes bellicas ad expugnandam vrbem in eum locum inferre conaretur, accepit ab exploratoribus

bus Serenis. Regem Poloniæ Sigismundum tertium, cum exercitu properare, & iã ad Iskiel quatuor milliaribus ab vrbe Riga adesse, mox celeri motu, relicto tot laboribus exstructo propugnaculo, desertis mille in eo totidemq́ in castris infirmis militibus, cum omni exercitu versus Parnauiã properat, ipse trãs mare nauigaturus, cum paucis militibus naues cõscendit, ac ventorum se fidei commisit, exercitus verò sui, arciumq́ in Liuonia captarum curam, viro ingenio reiq́ militaris scientia Il. Comiti Ioanni a Nassaw. demãdauit. Rex alias occasionem imminẽtis pugnæ adesse ratus, atq; cum patruo cupiens in causa iusta fortunam belli experiri, cum hæc de fuga ipsius cognoscit, amplius nõ insequitur, exercitum paulatim versus Volmariam ire iubet, subsequentium tormentorũ cura quæ multum temporis exegit, aliquantum retardatus; malã enim via ob auctas eximbribus aquas & constrictam leuiter glaciem, vix equi pedẽ mouebant. Interea Rex ex insolitis laboribus diuturnoq́ itinere debilitata nonnihil valetudine, pulso siquidem hoste, exercitus Prouinciæq́ Liuoniæ, fortunam, Ioanni Zamoyscio comittit, ipse in Lituaniam reuertitur. Dux continuato itinere, cum exercitu Volmariã peruenit, atq; prope aggeribus erectis, arcem & oppidum obsidet, crebra deinde grandiorum tormentorum impressione admota, muros

muros quatit, dum foramina tam in arce, quam in oppido excutit, ij qui in præsidijs sexcēti erāt amissa spe subsidij initoq́ de salute cōsilio, Præfectos ad Ducē deducunt, ex quibus Carolus Caroli filius & Pōtius de la Garde in captiuos accepti, reliqui oēs vita & libertate donati abière. His feliciter ad Volmariam factis, summa ingruente hyeme, mouit inde castra ad locum Hans Moysam vulgo dictū, ibiq́ deliberat Dux prudens, Dorpatinè an Felini obsidionē suscipiat: Visum Duci est ire prius in Estoniam, postea ineunte vere Felinum obsidere. Igitur soluta hyeme tepentibus niuibus, direxit iter ad Felinū arcem in eminentibus campis, muris aliquot & vallis fossisq́ profundissimis duabus cinctam & natura loci munitissimam circumsedit, fossis aggeribusq́ & machinis omnis generis expugnare aggreditur: Post multos interim tormentorum ictus, excusso foramine a pariete templi ad secūdum arcis antemurale, assultu res tentanda fuit, sed ob inopiam peditum, quorum pars cæsa, pars fugata, pars obnimios labores debilitata erat, ipse nobilium equitatus amore Patriæ vltro se in insultum offert: Res fuit aspectu periucūda, desiliētes ex equis, in peditum ordinem censebantur, nulla oratione permoti ad nutum Ducis, omnes alacres in foramen irruunt. Primus cum vexillo generosus Sigismundus Kazanowski Cap. Kokonhausen-

hausensis vexillum reliqui secuti sunt. Fuêre in eo assultu, multi illustres viri; Georgius Farēsbachius Palatinus Vendæ quia corpore grauis & vallum sublime & asperum ascendendum erat non tam virtute, quàm fortuna deserente, traiectus globo post aliquot dies occubuit; Nicolaus Comes ab Ostrorog, Ianussius Strus vulnerati; Ioannes Porycki & complures alij centuriones & socij virtutis insignia meriti sunt. Anceps erat principiò successus, reprimebantur ab insultu nostri: sautij multi sanguine rubentes recedebant, non quod temeritate rem adgressi, sed casu ita interueniēte. Pixidiarij enim tormētorū vi latius foramē excutere moliti, superficiem domùs quę vallo imminebat dirruunt: trabes tegulis decidentibus confertim in foramine hæsère, difficilior inde accessus & multò quàm fuit asperior factus (ita vt vix bini difficulter ascendere potuerint) negotium facesserunt, quod Dux ad tempus distulit. Interim tamen admotis tormētis petere muros non desijt, spes Duci in virtute militum, victoria militibus in fortuna Ducis erat, continuata acrius opugnatio obsessis omni spe destitutis terrori fuit: Qui subdolè mittunt ad Ducē (simulantes deditionem) petitum colloquium, interim quà per diffractos muros in arcem ascendēdum erat, tormentarios pulueres, quibus incensis cladem nostrorum fore rati, supponunt, sed Diuina

prouidentiâ, & magna Ducis prudentiâ, iacula quæ in nostros direxerant, in ipsos cõuersa sunt; Excussum erat maius foramen, iterum mittunt ad Ducẽ fraudulenter repetitum colloquium, atq; vt stratagema melius occultaretur, ipse Capitaneus in eo loco obambulans nostros expectabat, fortè fortuito a suis pyxidiarijs incenduntur pulueres, eijcitur Capitaneus & ad manus Ducis semianimis defertur: perterriti in fausto euentu hostes, amisso capite, quid aliud quam deditionem quærere, & in aduentum Ducis supplices misericordiam implorare meditarentur? Capta ergo arce virtute Ducis, omnes liberè dimissi. Itũ postea est in Estoniã cõterminã Liuoniæ prouinciã syluis paludibusq; incultã, ibiq; Veysténiũ vulgò Albũ lapidem dictã arcem, inter paludes sitam, circumquaq; syluis cõspicuis, muro valloq; cinctam, natura loci munitissimam obsident. Et dum illic ob paucitatem peditum soliciti animo essent, lætior rerum facies subitò affulsit: Nam sexaginta circiter signa peditum ex Polonia veniunt, omnes alacres, armis, omnes lecti: parabantur interea vineæ corbes plutei fossæ aggeresq; magna difficultate, ob exsilientes è terra aquas maximo conatu, non procul ab arce plus minus centum passus iaciuntur. Huic operi nostros intẽtos. Hostis furtim per syluas arbustaq; irrepens lacessebat, qui tamen ab Andrea Wilczkowski

kowski excubias tunc agente, fugatus. Interiectis deinde aliquot diebus in auxilium Veyſztenio ire nũtiatũ ẽ. Huic itaq; cũ duobus millibus haſtatorũ & leuis armaturæ, equitibus campiductor regni Staniſl. Zolkiewski properè per illas horrẽdas ſyluas cupiẽs anteuertere hoſtem contendit, ſed viro forti & animato in ſyluis, & fugiẽtibus, & inſequentibus nociuis, fortuna nihil obtulit; peruenit vſq; Reualiam, ibiq; aliquot diebus paratus ad pugnam expectabat hoſtem, qui non poterat colligere animum ad prælium, quem in fuga amiſerat. Onuſtus ergo præda cum ſuis militibus, ad caſtra rediјt. Sub idẽ tempus ad velitationem miſsi quidam Rakibor caſtellum fortiſsimum inopinatò aduentu ſuo receperunt. Interea temporis, haud erat ociatum ad Veyſtennium, tormentorum vi quatiebãtur mænia, latiſsimum foramen aperitur: dum hæc obſeſsi vident, nõ ſolum talibus auſis, ſed alacritate militum, & quaſi obliuione, quadam ſuſceptorũ laborum magis concitati, ad deditionem cogũtur. Capta eſt arx: præſidiarios dux benignè appellatos omnes dimittit, arcem ſuis præſidiјs firmat, octingentis peditibus, Capitaneo Ioanne Przelecki & centum equitibus haſtatis, centurione Ioanne Goſlawski in ea relictis, Felinum reuertitur, ibiq; venerandus iam ſenex, ætate grauis, & diuturno labore feſſus, auocantibus eum, quæ imminebant Regni Comitiјs, in Poloniam abitum paraturus,

exercitũ, dimisit equites in hyberna pedites arcibus imperat. Sed ne & eos qui in arcibus, & hos paucos licet, qui in cãpo mansêre pallantes sine Duce desereret, visum erat, Illustr. Comitem Ioannem Carolum Chodkiewicz, illis præficere, qui Regis Sigismundi literis vocatus ex Lituania cum centũ equitibus astatis, proprio ære conductis in Liuoniã proficiscitur, & Felinũ, vbi vetera castra erant, Añō 1603 peruenit. Vbi inuirtutes militũ, sumo regimine potitus, cum exigua, licet manu (non erãt quippe plures octingentis in campo) tueri Patriã armis conatur. Cõferre interim cũ cẽturionibus, adhortari militẽ solitus, vt nõ in multitudine victoriam sed in æquo & virtute militantiũ, existimãtes, bona spẽ haberent, atq; secũ ad obsidẽdã arcẽ, & vrbẽ Dorpatũ alacres irent; Assenserũt milites, prudentiam Comitis, quæ semper fortunam secum ferre videbatur sequuntur: pergit itaq; Comes Dorpatum, atq; Koster Moyzam ad Embekũ, amnem nauigabilem sitam, quæ à latere Dorpato erat munita, instar propugnaculi operis Sueticis, quibus debilia quæq; firmare & munire ex consuetudine, in naturam venit. Eam, prius expugnare proposuit, vt fluuium nauigabilem, hostibus adimeret, sibi quoq;, propter aduehendos ex Moschouia commeatus liberum efficeret, & omnibus obstaculis solueret. Obtemperauit cõsilio, Comitis

tis fortuna, expugnatum est propugnaculum, octoginta hostes in captiuos accepti, vexilla aliquot. Postero die castra ex eo loco mouentibns cccc. pedites Anzelensis & Kerempecensis arcium, præsidiarij à Ioanne Zamoyscio relicti accesserũt, postea, cum ad vrbem Dorpatum peruenimus, in latissimis campis, ad Embekum fluuium nauigabilem sitam, vallo intra muros vasto cinctam, fossis circumductam, turribus & tormentis munitam, hoc modo Comes circumsedit: Diuiditur exercitus, exutraq; parte vrbis castra ponũtur, vt omnis exitus hosti præcluderetur, ita vt, si ex vrbe vel arce egredi vellét, ferro viam parare necessum esset: in vijs Reualiensi & Naruiensi, ideò locantur, ne ijs, commeatus in vrbem importetur, Castra quædam, medio milliari ab vrbe quædam propius posita: his propinquioribus ipse Comes intererat, illis Ioannem Sapiehā præfecit, quæcũq; hostis tentasset, a tergo alterutros habuisset. Erant etiam à latere milites in adiacentibus Dorpato arcibus; Felini, cum sexcentis peditibus, & centum equitibus hastatis, Thomas Dabrowa; in Veysztenio Ioannes Przelęcki cum octingentis, peditibus; ibidem Ioañes Goslawski cum sua centuria equitum hastatorum; in Rakibor ccc. pedites, omnes propè erant, in auxilium omnes ad esse, dato signo, si opus esset parati, Porò & rationes

Ducis, & necessitas ipsa, vt Dorpatum, prius, quam aliæ arces, obsideretur, requirebat; Hæc n̄. vrbs in meditulio Prouinciæ Liuoniæ, multis præsidijs munita, mille sexcētos pedites, ducētos equites habebat. Nimium isti excursionibus suis, arces propinquas infestassent. Obsidio grauis, vtisq; fuit, ingentia frigora militibus cupidinem, quæ more ingenij humani, ad difficilia faciēda, permouet, ademerāt & quod fecerāt arte in hostē, ipsis offecit. Dū n̄. excubiæ aguntur, quibusdā ad ignem, qui in aggeribus compositus fuerat, somno oppressis signa duo militaria hostes erripiunt: Durabat hæc obsidio, totam hyemem, in magnis frigoribus, in summa inopia commeatùs, nihil nisi, quæ ex Moschouia adueherentur rarò, habuimus, excursiones assiduę & acres, fames, frigora, intollerabilia: Durum quidem habuimus Martē, sed numen Diuinū propitium, quod euidenti argumento in ijs fuit, qui ex velitationibus redijssent etiamsi periculosè sautij, Austro expositi, naturali tantum calore, & pellium exiguo vsu sustentantes vitam, sine discrimine tuebantur. Dum hæc ad vrbem Dorpati fiunt, exploratores veniunt hostem Rakıbor obsidere, & per assultum rerum potiri velle narrant. Fit consternatio militum in castris, sed Comes cōstantis animi vocatis in concionem militibus, duo factu difficilia proponit; obsidionem Dorpati cōtinu-

tinnuãdam, auxilium Rakiboriensibus ferendum, esse: paucitas quidem nostrorum (diuisionẽ exercitui semper cauendam) prohibebat, sed necessitas consilium nouum, Duci suppeditabat. Illico Ioannem Gosławski, cum centum equitibus hastatis ex Veyſztenio vocatum, adiũctis totidẽ Felino equitibus missis, (ex vtraq; arce sexcẽti pedites aderãt) ex castris quoq; aliquot signis militarijs assignatis, ire sub Rakibor præcepit. Postquam hæc Dorpatẽses de nostris acceperunt mox ex vrbe, & arce in castra nostra irruptionẽ faciũt, nostri futurum id rati prælium expectabant: Felix Niewiarowski ex longinquiorib9 castris, cũ ccc. equitib9 Comes ipse è castris suis ad quẽ intẽderãt hostes totidẽ equitibus, & cẽtũ peditibus acceptis, à frõte Suecos, ille à tergo adoritur, qui sibi victoriam promittebãt, turpiter fugãtur, & nisi se sub mænia recepissent tormentorũq; auxilio vsi essent, cõtemptam, in parua manu virtutem nostrorum experti fuissent. cæsi tamen aliquot in fuga, & capti sunt. Sub idem tempus ad Rakibor feliciter dimicatum est, cæsi hostium mile trecenti, signa militaria septem, tormenta sex accepta. Exitus pugnæ fuit felicior, quò durius & omni fortuna destitutũ magis esse videbatur bellum, inediam labores, & algores susceptos, large Diuina compensauit prouidentia; non multitudinem hostium, sed æquum & virtutem militum, præstantiorem esse victoriã,

de victo hoste numen Diuinum expressit, & pro cultu Diuino bellantium, maiora promittens, incendit & errexit animos. Igitur fusis fugatisque ad Rakibor hostibus, milites cum tormentis, & signis Sueticis, ad castra redeunt. Visis his Dorpatenses, tum primò remissiores agere, malè de se queri, magni Comitem habere cæperunt, timere, denique fortunam suam, ne nutu Diuino cuncta agentibus, humanos conatus prostituat, faciliores ad omnia inuēti: neque iam deditionem, quàm antea horrebāt, abominabantur, cvmque nos constanter hyemem transegisse, in obsidione aduertunt, imminente vere, deficiente qnoque commeatu, præter quem omnia sustinuissent, redacti eò, sese dediderunt, & iram Comitis deprecati sunt. Capta est vrbs, & castrum Dorpatense, præsidiarij omnes impunitate donātur, quidam equis Comitis ad fines Estoniæ deuehuntur: Ciues plura, quàm ipsi sperarent, retulerunt, vitam, religionis libertatem: à præda milites prohibiti, fæmineo sexui honor, ob singularem Comitis continentiam, habitus est. Summa modestia in omnes vsus, ita. vt nunquam, hominem, qui fronte oculis, gestuque seueritatem, natura insitam, non fictā ferre videtur, modestiore animo, esse sperares, qui & vincere, & in victos clemētia vti didicerit. Sublecuta est interim æstas, meritis nostris commodissimum tempus, quod nemo nostrum

ocio

ocio conterere voluit, & bene mereri de Patria, & nomini suo quærere, simul cum Comite optimo, famam, omnes optabant. Mouit ergo Castra Comes ad Fikiel Moyzam, media inter Veysteniũ & Rakibor via, & quia Comiti nihil incognitum, cõsilia, n̄. prõpta, occulta hostiũ monẽt per exploratores, quos sumptu nõ exiguo alebat, intellexit exercitũ septẽ milliũ in Estonia esse, diuidiq; in duas partes, vnam ductore Eruerixone, aliam Andreâ Lindersone, hunc ad Veystenium expugnandum, illum aquis lacus Peypis Dorpatum nauigaturum. Igitur Comes noster, castra sua mox transfert, & ad Iberpol in loco munitissimo metatur, is, inter duos exercitus erat. Siue itaq; euntẽ Dorpatum, siue properantẽ ad Veystenium, alterutrum commodè sequi posset, (hic septẽ, ille quinq; milliarium, interuallo à castris nostris distabat) minorẽ exercitum, sed armis lectiorem Lindersonis, (quorum duo millia, equitum & cccc. pedites erant) secutus est. Fuit aliquis tñ. in tanta paucitate nostrorum inter milites metus; Comes, constantis animi, nihil multitudine hostium territus, idem sibi numẽ Diuinum adesse, quod proximo prælio adfuit, sperans, eidemq; negotium comittens pergit, milites verò ex prudentia Comitis, fortunam sibi promittentes non recusauêre. Igitur inito cum præfectis equitum consilio, castris armaturà, & vallo muni-

tis, cum quingentis equitibus haſtatis, & centum peditibus, celeri curſu, noctu diuq; occultis, & aſperis locis, non ſine maximo labore ſuperatis, inopinantem & ſecurè agentem Linderſonem adoritur. Et quãuis initio anceps facies pugnæ, & ad hoſtes inclinari viſa: propter anguſtias enim loci nouiſsima acies congredi cum hoſte non potuit, ideo neq; impetum ſuſtinuit, relinquentibus à tergo famam nominis, concitato equo, dēſitatē ſyluæ perrumpens Comes occurſat faciei, detinet, fugam turpem genti clamitat, ipſe prior in confertos hoſtium cuneos inuehitur, viam ferro alijs aperit. Nec mora, recipiũt animum, reſiſtunt hoſti. Ecce qui fortunæ credidit, decipitur fallaci Deâ, victoriæ ſpe exuitur, profligatur, & in triũ milliarium ſpacium vſq; Reualiam fugatur. Cecidêre eo prælio hoſtium mille trecenti, ſeptem ſigna militaria accepta: præda ingens equorum fuit. Poſt reditum Comes ad caſtra ſua, peracta tam felici pugna, interiectis aliquot diebus, ire cum parte exercitus ad Eruerixonem, qui in conſtruendo propugnaculo ad oſtium lacus Peypis, immorabatur, conſtituit, cumq; perexiſſet, cognita hic clade collegæ ſui Linderſonis, & aduentãte cum exercitu audito Comite, mox exercitum ſuum nauibus Naruiam ſubduxit: fugâ ſua hoſtis animato tunc militi victoriam ſuſtulit. Porrò poſt breue tempus, eodem anno 1604. exploratum erat Duci collectas ter-

tiò hoſtium vires eſſe ad Reualiam, & in animo habere ire cum exercitu ſub Veyſtenium, & fortunam belli ſecundò tentare. Comes noſter qui iam tum octo ferme vexilla auxiliarium copiarum ex Polonia recepiſſet, cum animoſo milite, quibus fortuna Comitis, & Comiti virtus militum cognita fuerat, non expectato hoſpite, ad eum perrexit, atq; inopinato aduentu ſuo, ad ipſas ex-excubias, in caſtra eorum, quæ ad lacum ſub vrbe poſita erant, irrupit, ibiq; tum infeſtatione Koſakorum inchoatum opus, ad manus non peruenit: dum enim in prædam noſtri ruunt, hoſtes metu, alij equorum, alij pedum pernicitate vſi, quoquiſq; modo efferre potuit vitam, cum ea properabat. Comes qui cum exercitu à tergo fuerat, tam cito ducere pedites non poterat, interim ſe Sueci ſub tormenta ad mænia vrbis recipiunt. Nõ defuit animus Comiti neq; militibus, ad ipſum n. vallum vrbis excurſantes, quantum commoditas loci permittebat, (frequentibus enim circumſepta ſoſsis ad mare, ex vna parte iacet vrbs) ad prælium prouocabant; imbellem tamen animum hoſtium, non concitarunt. Tota die in eo conſumpta, ad veſperum incenſis caſtris, & ſubvrbio, verſus mare ad Lode receſerunt, terram hoſtilem depopulando, vt vel damno commotos, quos gloria virtutis non excitauerat, ad prælium euocarent, nihil profecere. Ad id locorum morantibus, pe-

ſtilens in exercitum inuadit lues, ex ſpolijs & captiuis in caſtris noſtris coorta, quæ ita graſſari cæpit, vt non ſolum infirmi, ſed etiam ſani, in inceſsu quidā, quidā in gyrū agitātes equos, dū ſe alacres putant, caderent, quidam in ſomnis abſumerētur. Nec Comes ipſe eiuſdem mali expers fuit, quippe inter exploratores,& captiuos ſæpius verſabatur. eò tādē vētū eſt, vt ſparſim è caſtris dimitterētur: Comiti qui etſi morbo tenebatur, curæ fuit, vt arces præſidia ſua haberent, & milites pallantes licet, in Liuonia tamen detinerentur; ne eà occaſione hoſtis, fortunam ſibi conciliaret,& intentata relinqueret: errantem toto autumno militem, vix, frigora Decembralia ad hyberna compulêre. Sed eadem contagio apud hoſtes, à quibus ad nos direpſerat, fuit,ideò nihil moliebantur,& nihil audebant, quamuis de noſtra diſperſione omnia cognouerant. Edicto diuino pax vtrinq; interceſsit, totam hyemem ocioſi peregimus. Recepta interea Comes valetudine, ad Sereniſsimum Regem Sigiſmundum, vt ſtatum Liuoniæ exponeret, vtq; auxilia Prouinciæ impetraret, procifiſcitur: annuit Rex poſtulatis,nouus conceditur miles. Anno igitur 1604. in Liuoniā, æſtate iā feruēte deportetur: Interim Eruerixō cū 4.milliū exercitu ad Veyſteniū peruenifſe narrabatur: & quia in arce pręſidiarij plurimi peſte perijſſēt, viſū erat Comiti mouere caſtra verſus hoſtē, ire in auxiliū Veyſztenio, cūq; per-

uenisset ad Iberpol, in loco munitissimo, quinq; milliarium interuallo ab hoste, castra constitui iussit, ibiq; Comes ad hostiū progressus intentus, num tormēta ad quassandos muros applicarēt, nū militē dispertirēt, dispiciebat, tū in eos, vt in mali consilij hostes irrūperet, & suo stratagemate vti posset. Sed cum hostem colloquijs tantum & literis Veystennium licitari cognouisset, nullamq; vim arci metueret, in castris se cōtinet, intentus ad omnia, quæ moliretur hostis. Porrò illud hostibus cōsilij fuit (quod Comes noster tam de captiuis, quam de exploratoribus sufficiēter cognoscebat) inuadere castra, sed difficultate expugnandi retracti, ad Veysztenium, faciliore, vt ipsis videbatur, ratione capiendum animos adijcientes, à proposito discedūt. Exacto tamen vno mense Eruerixon à Veystenio recedit, minitans promitensq; se cum lectiori & validiori manu intra breue tempus rediturum. Copiæ interim auxiliares, tam equitum, quam peditum, ex Polonia festinare, & iam Dorpatum peruenisse, Comiti narrantur. Hinc igitur ad Veystenium cum frumento cc. peditibus missis (pestis enim tum deferbuisse videbatur, ipse castra Dorpatum transfert, vt & commodiùs stipendia militibus persolueret, eosdemq; in reditum hostis instrueret. Eruerixon iterandi reditus fletit promissis, collectisq; septem millium copijs, quæ

potissimum ex Germanis, Anglis & Scotis constabat, rursus ad Veystenium comparet, atq; ad Dorputensem viam, quâ nobis eundum erat, castris locatis, arcem circumsedit, persuasus sibi eos fame facilius in deditionem posse cogi, sed frustra: Tãtum enim & commeatus, & rerum ad defendendam arcem necessariarum habuêre, vt, quamuis integro anno obsiderentur, sufficerent. Cum ita agere Comes hostem cognouit, receptis quæ ex Polonia venerant auxilijs, præter eos, qui in præsidijs arcium erant, duo millia & cccc. contra hostem ducit: Cumq; iam ad Iberpol veterum castrorum locum peruenisset, curribus in gyrum iunctis, tentoria explicari iubet, longioris illic moræ similitudinẽ ostẽtãs, hosti etiam minus suspectã eò quod exploratores diutius mansurũ, vt ante, & tãtũ à longe speculaturum affirmarent. At Comes, primo noctis intempestæ silentio, dat tacitum signum militibus, relinquit cum suis præsidarijs castra, rectâ ad hostẽ pergit, cumq; vno milliari à castris hostiũ abesset, vigiles inter se cõcurrisse, & manus conseruisse affertur, idem cum hostis accipit, relictis suis castris, it obuiam nobis, matutino diei crepusculo illucescente. Comes cum aduertisset dimicationi locum non esse idoneum, qui inter paludes & arbusta erat, in dextram diuertit, atq; tramitibus occultis ad arcem peruenit, vnaq; castra

hostium

hostium nullo negotio cepisset, nisi à tergo relictorum velitantium, (aliquot enim vexilla missa erant) curam habuisset. His cognitis Eruerixon, festinare, vrgere, terga nostrorum conatus eius retardantium premere, pugnæ copiam aucupans properare. Sed cũ peruenit ad eũ locum, qui viá dextram exercitui nostro porrexit, deuia vestigia cognoscit; mox iterato cursu, castra sua repetit, atq; vno eodemq; tempore, quo nostri ponè arcem ad fluuium, ipsi ex altera parte, ad castra sua, de quibus desperarunt, accurrũt: ibiq; exercitus quos intersepserat fluuius, ad ripas stantes eminus se lacessebant. Postea cum ad vesperum dies inclinaretur, exercitus noster sub ipsa arce consedit; locus enim ille in quo diem transegimus, minus erat ad pugnãdum opportunus. Hic videre est hostium arrogantiam: circumducunt vndequaq; nostros, diligentissimas excubias, nequispiam dilabatur agunt, pars in castris ouant, pars mero indulgent. Postero die, qui erat 25. semptembris Anni 1604. ex ausis hostium metientibus nobis prudentiam magistram fortunæ, desipere visi: loco enim castrorum munitissimo cedunt, ad campum quâ venerant, commigrant, nostri lento gradu succedunt, multũm immutatione loci animati, loca angusta (per ponticulos eundum erat) trajciunt, circumquaq; enim illum campum arbusta obsidebãt, neq;
prius

prius ingrediebatur Comes donec tormentorum globis ex arce emisſis, inſidias explorari iuſsiſſet. Ita aliquot horis tranſactis, auxilium Diuinum implorans, turmas ordinatas educit. Præcedunt aliquot vexilla peditum cum tormentis, hos equitatus ê Germanis conſtans ſubſequebatur, iſtis haſtati equites ſuccedebant, pedites iterum cum tormētis, hos tertia acies haſtatorū equitū,&peditū cū tormētis ſubſecuta eſt, agmen,vltimi equites Germani claudebant. Hoc ordine campum ingreſsi, ne tormentorū iaculis, in ipſa fronte aliquam cladem paterentur, neúe dolo aliquo hoſtis vteretur, verebatur Comes, in loca igitur editiora tormenta inuehi iubet. Acies deinceps tali ſeriè inſtruit. Campus erat latiſsimus ex vtraꝗ parte denſis virgultis obſitus, quem totum hoſtis phalangibus ſuis ita in latum diffuſis occupauerat, vt ſi quis in multitudine victoriam poneret, paucitati noſtrorum infauſtum ominaretur. Pedites itaꝗ, ad latera cāpi deſtinat; ex his duo cornua, dextrum & ſiniſtrū ita conſtituuntur vt, & paucitatem ſyluis tecta ſimularent, & nihilominus arte hoſtibus imminerent. Medium etiam pedites tenuêre, ad læuam Illuſtr. Comitis Alexandri Chodkiewicz ducenti, his adiuncti Thomæ Dabrowa totidem equites lanceati. Auxiliares Germani Sclopetarij. Benedictus à Vall, & Ioannes Suindermanus cum ſuis centurijs.

centurijs. Dextrum cornu pedites ferebant, equites à latere. Theodorus Lacki cc. Felix Niewiarowski centum haſtatos, habebāt. Voluntariorum, etiam aliquot centuriæ, ex his lectiores equis & armis duo, Ianuſsius Kiſzka & Georgius Fraczkiewicz Radziminski, & cõplures alij, fuère. Auxiliares ijs, nobilitas Liuonica cēturione Othone Denoffio, & cētum ſclopetarij Germani ductore Gottardo à Vittingt. Prætoria deniq; hoc eſt, valida ipſius Comitis turma: hanc á latere & à tergo Kozaci circūſtabant. Dū ita acies inſtructæ eſſent, mittuntur è tormentis iacula, ingens exoritur clamor, noſtri ſalutifero nomine IESVS inuocato, expediunt arma, curſu citato feruntur in hoſtem. Anceps initio pugna; circumueniūt à lateribus noſtrorum aciem, quod multitudini aduerſus paucos facile fuit; dum ita hoſtis, noſtri ex ſyluis pedites, dextra læuaq; ala, eoſdem à lateribus ambiunt, plumbea grandine improuiſos vrunt. Auxiliares à tergo copiæ irruunt, & miſcent ordinem: pugnatum eſt acriter, cædunt, profligant vincunt noſtri: quinq; ferme millia hoſtiū in eo loco cæſa, permulti capti, ſaucij plurimi: Signa militaria ſex & triginta, tormenta ſeptē accepta: è noſtris quadraginta occubuère, nonaginta ſautij. Parta virtute militum inſigni victoria, profligato tam feliciter & pulſo hoſte, milites, diuturnis laboribus feſſos, Comes in hy-

berna misit, qui dum ad loca designata secedunt, nihilq; periculi ab hoste metuunt, & tranquilitate breui perfruuntur, tunc Linderson collectis iterũ copijs, tam ex reliquijs eorum, qui proximo prælio aderant, quã etiam ex arcibus Esloniæ vocatis, vt collegæ cladem, sua fortuna vlcisceretur, & fusum sanguinem suorum, capto Veystenio, Duci suo Carolo compensaret, nostroru n præterea paruo numero qui in præsidijs vix cc. fuere, insolescens, (plurimi enim peste, absumebantur, nec ad integrum contagio sopita erat) ad Veystenium perrexit, sed malo euentu. Dum enim noctu, quam ad ausus suos & fortunam delegerat, impressionem facit, & omni vi mænia disturbare nititur, paucorum defendentium viribus reprimitur; pars quæ per scalas ascendere conabatur deiecta, pars, tormentorum iaculis strata, pars, saxis obruta, ad mænia arcis plures cccc. iacuere, sautij plurimi vulnera, pro victoria; infamiam, pro Veystenio, reportantes recesserunt: E nostris quatuor aut quinq; cæsi. Ex ijs ipse Capitaneus, vir militaris & forti animo, Georgius Czechowski, dum strenue muros tutatur cadit. Cum ita auxiliante numine Diuino hostis repressus esset, reliquum hyemis quiete peregimus. Comes interim ad comitia Regni proficiscitur, cũ eo plurimi militum, quorum virtus, vulnera dispendia, laboresq; pro Patria suscepti, Regi, in

amplis-

amplissimo Patrum consesu à Comite comẽdabã-
tur. Signa militaria, complures captiui ibidem,
victoriæ exuuię, dexteritatis symbola, ad Regios
pedes abijciuntur. Ea res summo, Comiti ac mi-
litibus honori fuit, gratiæq́ omnium Ordinum ap-
plausu singulariter actæ. Et ne excellens tanti viri
animus, totq́ prælijs, felici Marte, transactis, per-
specta prudentia & fortitudò, domesticis tantum
insignibus ex ipso genere tractis, gauderet, Rex
prudentissimus, nouis remunerari virtutem titulis,
nouoq́ honore, ac munere, Comitem condecora-
re statuit. Itaq́ è communi omniũ sententia Su-
premus exercituũm M. D. Lituan. Dux pronun-
ciatur, curamq́ Liuoniæ vlterius tuendæ suscipit.
Sequenti ergo vere, quod erat Anni 1605. equita-
tu, & peditatu, exercitus auctus erat: sed quia arci-
um præsidia, ob multorum fugam, infirma videren-
tur, Dux prouidus, partem campestrium peditum,
(vix mille in castris relictis) arcibus impertitur.
Porrò dum ad Volmariam castra detinentur, ex-
ploratores Rakibor à Lindersone obsideri, & ad
insultum machinationes strui afferunt. His rumo-
ribus percitus castra Dux loco mouit, & in auxili-
um ire suis constituit; mox alij veniunt peius adul-
ti rumores, castrum per deditionem, perfidià quo-
rundam Haydonum captum. Ergo institutum iter
Dux, qui iam propè Dorpatum erat, præscindit,

frequentioribusq; nuntijs perturbatus periculum Veystenio metuebat. Præsertim cum etiam, interea, rumores alij, vndiq; accederent. Rigenses n. de appulsu classis Carolinæ cum Mansfeldio significant, & maritimis prolusionibus perculsi, Ducem ad auertendum imminens ciuitati suæ periculum rogitant. Eodem tempore (etsi exploratum erat Duci, Rigam quoq; versus Lindersonem cum exercitu intendisse) tamen non facilè rumoribus credens tempus quo senescerent concedebat. Interim diligentem curam Veystenij habebat, cuius magis periculum quàm Rigæ & Dunamundi extimescebat. Rigæ, quæ cum esset vrbs munitissima, vim Mãsfeldij, nihil detrimenti allaturã, perspiciebat; & vero magis fides, & in difficilibus perspecta virtus Rigensiũ, securum faciebat. Dunamundo & commeatum & præsidiarios sufficientes non defuisse nouit. Quare his in hoc statu relictis, omnem curam ad Veystenium tuendum conuerterat, & hostem persequi constituerat; frequentioribus tamen Rigẽsium precibus victus, Rigam exercitum direxerat. Ecce illico exploratores aduolant, Carolum Sudermanum Parnauiam septem millia hostium adduxisse significant. Res fuit pleplena periculi, paucitas nostrorum, copiosus verò exercitus hostium diuisus metum, coniunctus periculum incutiebat, Diu deliberans Dux, quod commo-

commodiùs inter tria, iter ariperet, prioribus illis rationibus Rigæ, & Dunamundo consultum esse putauit, hoc verò posterius consilium suscipit, vt copias Lindersonis quas exercitui Carolino quasi e composito, adiungere studuêrat, interrumperet, & diuisum hostem commodiùs profligaret. Animus quidem Duci, cum Carolo fortunam tentandam suadebat, sed exercitus Lindersonis, qui fortibus, & insignioribus viris lectior erat, illum ad se pertraxit. Relicta itaq; à dextris via, rumoribus & vestigijs, quæ Dorpatum vergere viderentur instructis, eò quoq; impedimentis bellicis remissis, ipse celeri cursu, locis abditis, & perquàm transitu difficilibus versus Parnauiam perrexit, ibiq; in itinere per exploratores, de aduentu Lindersonis, qui octo milliarium interuallo ab vrbe Parnauia aberat, cognoscebat. Interea properabat, vt Lindersonē ad Castellū vulgo Fikiel Moyzam dictum, euntem, anteuerteret: idem Lindersoni, tanquam viro militari consilium fuit, eandemq; de nostro exercitu notitiam habens, contendebat cursu, vt prior locum occuparet, & quia propinquior, ideo prior conspicuus nobis omnibus irruit, pedestribus in castello clausis, equites omnes penes Castellum in campo iacta fossa, & circumducto aggere locat. Fuêre illo die frequentes vtrinq; velitationes; prouocatus aliquoties per tubicinem ad prælium non audebat,

audebat, detinebat,& alias, deinde alias morę caussas nectebat: interim aliquot equites rogatum auxilium Parnauiã ad Carolum misit, ex quibus postea duo, ab excubijs nostris capti, consilium hostis exposuêre. Igitur Dux noster, vno milliari ab eo loco, cum exercitu recessit, hîc speciem castrorum, compositis frequentioribus, quàm ad vsum erant necessarij, ignibus effingens: insumpta breui propter pastũ equorum mora, deinceps nocte intẽpestâ, per loca insueta, paludosa, & tetra ob eminẽtes arborum summitates, & euersas radices (vbi locus insidijs suspectus esse posset, & quem exploratores maxime cauendum, monebãt) ope Diuina integrum exercitum traiecit. Sudermanus verò licet nos insequeretur, minimè tamen est assecutus, & vbi nocere plurimum potuit, nihil obfuit. Ita feliciter Felinum peruenimus, ibiq; nonnihil equis relaxatis, ipsi quoq; refectis viribus pulsaq; fame, (tantum enim victus sumserat quispiam, quantum eques armatus asportare secum potuit) lento postea gradu perreximus Volmariam. Hîc recepto commeatu, quem antea Dorpatum remiseramus Duce iubente, castra Vendam promouimus, atq; in loco quondam fortunatissimo, in quo Illustr. Christophorus Radziwil Palatinus Vilnensis, initio huius funesti belli trecentorum militum operâ, quatuor millia hostium profligauerat, & quam plu-
rimæ

rimæ aliæ victoriæ auſpicijs Regum Poloniæ antiquioribus temporibus, ibidem de Moſchis reportatæ fuerant, caſtra poſita ſunt, & vallo commonita. Dum ibi cum animoſo milite expectat hoſtẽ, certior fit per exploratores Carolum Sudermanũ contempta paucitate exercitus noſtri, (& enim tũ exercitus hoſtium vltra duodecim millium numerum tranſcenderat, præter Manſueldium, qui etiam cum quatuor millibus ad Dunamundum immorabatur) rectâ Rigam iter tenuiſſe. Illicò caſtra mouet, & properanter ire exercitum Rigam iubet, cumq; ad Rodempeium perueniſſemus, facta ſtatione, tenebras expectauit, cumq; iam nox intempeſta eſſet, impedimentis Iſzkielium præmiſsis, ipſe cum omni exercitu ignibus relictis, collucentibusq; ſyluis, ſecutus eſt. Poſtera iam die, cũ à caſtris hoſtium non niſi quatuor milliarium intercapedine abeſſemus, vlterius ad prædium Patrum Societatis IESV, vulgò Iungſer Moyſam dictũ, caſtra Duci promouere viſum erat, (qui locus vno milliari ab vrbe Riga, & à caſtris hoſtium diſtabat) Tum, vt propinquitate loci, Rigenſibus animũ adderet, tum, vt etiam inſultus, quos hoſtis Rigæ parabat, impediret. Accedit quod exercitum hoſtilem, hac ratione diſtractum, iri & copias quæ ex Lituania miſſæ in itinere iam narrabantur, cõmodè recipi poſſe putaret. Demum Illuſtr. Ducem Cur-

landię

landię Fridericum, qui ante biduum cum in castris apud Iszkiel fuisset ex composito in eum locum se venturum promiserat, ibidem præstolaturus erat. Sed antequam loco progressus exercitus esset, en legiones aliquot hostium castris appropinquant, & in custodiam incursant, vnumq; de excubitoribus abducunt: dum hic rumor castra inuadit, extemplo classicum canitur, omnes è nutu Ducis pendentes equos conscendunt. Missæ aliquot in sequutū Centuriæ, hostem represserūt: Captiuus nostras de paucitate exercitus nostri, & alia provt se res habebat Carolo exponit. Sequente itaq; die, qui D. Stanislai peruigilium erat, Dux noster castra, instructis, vt ad prælium aciebus, ad locum prius intentum promouet. Sed quia ob densitatem syluarum, & viæ angustias, instructæ acies ire non poterant, ordine tamen eo, quo quæuis legio posita erat, progrediebantur, ita, vt, si res ad manus peruenisset, suum quæuis locum in plano retinere potuisset. Præcessit euntibus Dux ipse; nihil de hoste afferebatur: cumq; iam ad Kircholm peruenissemus, in loco qui campus prælij fuit, equus Ducis constitit, vt nec sæpius calcaribus adactis concitatus, pedem loco mouere voluerit. vnde tacita mēte accepto hoc præsagio Dux, locum pugnæ deligit (is erat à sinistris ad ripam fluminis Dunæ inter colles e tumulis assurgentes, in quo, nonnunquam castra

castra fuisse apparebat) castraq́ metari iubet. Et quanquam animus Duci ad assignatum locum promouere exercitum fuêrat, approbantibus tamen & suadentibus quibusdam centurionibus, mutato cõsilio, in eo loco perstitit. Dum castra muniuntur Dux, ad Illust. Fridericum Curlandiæ Principem, qui tum in arce sua Dalensi erat, mittit, atq́ ipsi de loco castrorum significat: addit tamen, se ad locum assignatũ (qui medio milliari adhuc distaret) castra promoturũ. Postero die, qui Diuo Stanislao Poloniæ Patrono sacer erat, ipso dilluculo, dum res Diuina perageretur, per excubias, Sudermanus cũ omni exercitu ad castra nostra, relicta obsidione Rigæ, omnibusq́ machinationibus, quas in vrbem struxerat posthabitis, vim summam in exercitum nostrum ferre narrabatur. Et licet horum omnium Dux non ignarus esset, iamq́ exercitum explicaret, à vigilibus quidam tamen adductus transfuga Polonus, qui in iuramentum coactus fidem suam reliquerat hosti, expressius de exercitu, de ordine, de multitudine sufficienter edocuit: idem quoq́, tota nocte exercitũ Caroli in syluis errauisse affirmabat. Postquam enim pridiè Riga recessissent temulenti, mero audatiam ministrante, noctem tẽpus opportunum inuadendi castra nostra susceperant: sed vix sole iam exorto errorem agnoscunt, decimaq́ diei hora cum suis signis in campos Kircholmen-

cholmenses sese effundunt. Quos vbi iam in procinctu Dux Curlandię Fridericus adesse conspicit; cum ccc. equitibus suis, Duna fluuio adhuc a nostris disiunctus, singulari, tum erga Ducem exercitumq; animo, tum erga Sac. R. Maiestatem, atq; Patriam, amore inflamatus, pulchris maiorum insistẽs virtutibus, sui oblitus periculi, in rapidissimum se; dat fluuium, atq; vadum à nullo antea cognitum, monstrante sibi quopiam fortuna oblato ruricola, incolumis, frustra hoste tormẽtorum globos spargẽte tranat. Huius ad exercitũ nostrum accessus, quemadmodum omnibus multo gratissimus ob auctas vires accidit: ita miraculoso fluuij transitu faustum omen Diuini fauoris portendente, militũ animos erexit, & invsitatã pene pugnæ cupiditatẽ omnibus ingessit, ita, vt nemo fuerit qui multitudinem hostium extimesceret, qui victoriam æquitati non polliceretur. Itaq; Principis huius equites in ipsam Ducis nostri legionem sunt cooptati. Verum vt ex instructis aciebus, tam industria Ducis, quam virtutes militum magis elucescãt, hic paucis seriem exercitus subijcio. Tria Ducis ipsius vexilla equitum hastatorũ præfecto Vincentio Woyna, primum in fronte locum tenebant: peditum cohortes cum tormentis á lateribus horum adstabant. In dextra ala Illust. Comitis Alexãdri Chodkiewicz Palatini Trocensis, equites cc. præfecto

Andrea

Andrea Młocki, & Felicis Niewiarowski centum lanceati ordinabantur. Siniſtram verò alam Thomas Dąbrowa cum cc. equitibus lanceatis tuebatur: á lateribus pedites erant. Auxiliares mediæ aciei fuere Ducis Curlandiæ ccc. equites Germani præfecto Mathia Rekio: Dextrę alæ, auxiliares: pars equitum Generalis ipſius, Marci Wielamowski, Piltinenſium Nobilium centuria, Ioannis Sapiæ cētum equites haſtati. Sniſtræ verò alæ, fuere Gotardus a Vittingk Valterus Platemberg centuriones ambo, equitũ Germanorum, cum ſuis centurijs, & Franciſcus Koſſakowski cēturio equitum haſtatorum. Poſt tergum auxiliarum. Dextræ alæ, Marcianus Giedroyć. Boruchowski, Siniſtræ alæ, Machmec & Zacharias Scythæ, haſtatorum equitum centuriones imminebant. Nouiſsima valida acies, ex equitibus cc. Theodori Lacki, conſtituebatur. Fines acierum voluntarij cuſtodiebant. ad caſtra Ferentarij cccc. relicti. Dum itaq; iam acies vtrinq; inſtructæ eſſent, Hoſtis quidem, editiores camporum colles inſedens, nos in decliui poſitos, tormentorum iaculis infeſtare, nec in planitiem decurrere audebat: quē locum noſtris vtpote ad concurrendum ob aſcendentes in altum tumulos, difficilem, Suecorum verò latibulis idoneum, vbi Dux aduertit, tali arte, militibus prius inſinuata, vſus eſt. In morem fugientium acies ordinatas

dinatas retrorſum agere, & iam ex toto illo ſpacio quod occuparât exercitus excendendo, terga dare ſuos ſimulat. Hoſtis quod iam animo præconceperat fugam noſtrorum adeſſe ratus, nimis credulus, relictis collibus, in planum exercitum diffundit, diuiſim tamen. Siniſtrum enim cornu Dux Lunenburgenſis, veloci curſu primus gerebat, vt fugam (vt putauit) noſtrorum præuerteret. Mediam aciem demittebat Andreas Linderſon. Dextrum cornu Mansfeldius ad caſtra noſtra direxerat, cumq́ propè eſſet, cccc. noſtri, qui caſtris adſtiterant Ferentarij, ſeſe opponunt. Dux noſter reſiduas hoſtium phalãges, cum iam defluxiſſe videt, militibus ſuis ſigno receptui dato, omnem exercitum in hoſtes conuertit, ſimulq́ ter glorioſo nomine Iesvs inclamato, repetito curſu, ad eum locum vbi tormenta erãt, regreditur. Attoniti ſubito noſtrorum recurſu, hoſtes animo conſternantur: in quos Dux confeſtim, exploſsis tormẽtis. Summa vi inuehitur. Diuiſus erat fortuito exercitus Sudermani, ita, vt in medio (ob celerem deſcenſum) intercapedo patens relicta eſſet. Prima Ducis acies in pedites Cõtoferos impetum facit: eius pars, in Primipilos nunc, qui antea erant auxiliares haſtas infigit. Pedites cum peditibus manus conſerebant. In ſiniſtrum cornu Dobrowæ, in Dextrum, Palatini Trocenſis, vnaq́ Niewierowiana cohortes, inuehuntur.

In illam verò intercapedinem Theodorus Lacki cum quibusdam ipsius Ducis equitibus & Sakcius Piltinensium equitum præfectus irruit. Reliquæ cohortes aduersum euntes hostes adoriebantur. Acerrima exoritur cædes, nõ sustinet multitudo hostium, fortitudinem nostrorũ, puruerulẽta insugam terga insequentibus vertunt, Dux ipse Sudermanus, qui primæ aciei aderat, tertio vix hærens equo, periculum euitat: insequebantur nostri ad vnum circiter milliare hostem. Tum spectaculum horribile erat, dum sequi, fugere, occidi, capi multos vulneribus acceptis miseram agere animam, repentes alios, & humum sanguineam mordentes videres, omnia hastis, telis, cadaueribus, constrata campis sanguine natantibus. Interfectoum hostium numerus nouem millium à vespillonibus censebatur: inter quos Dux Fridericus Lunenburgensis, iuuenis animosus horribili morte mactatus repertus est. Andreas quoq; Linderson vir multis bellicis conatibus insignis, ibidem occubuit: alij complures melioris notæ Centuriones. Signa sex & sexaginta accepta, tormenta vndecim, suppellex omnis, quæ in Curribus erat, Carolina inter milites dirrepta. Captiui mille quingenti: Feminarum ingens numerus, quæ postmodum Rigam, citra contumeliam deductæ, libere dimissæ sunt. E nostris verò de tam exigua manu, quorũ nonnisi tria millia

 erant,

erat, ſeptuaginta tãtũ pro Patria pulchrã per vulnera morté oppetiuère : ducẽti circiter ſautij, equorum tamen ingens ſtrages edita. Hoc tam graui defunctus exercitus noſter periculo, victoriâ lætabundus, triũphatori Deo, Diuoq́ patrono ſoſpitatori Patriæ, gratias peracturus Rigam ad templũ Societatis IESV, confluxerat, vnde ingens in omnes regni oras diffuſa lætitia. Elapſis per quietem aliquot diebus, pars exercitus in hyberna miſſa, pars repetendorum ſtipendiorum cauſâ in Lithuaniam ſeceſsit; tota deniq́ hyeme Liuonia pace fruebatur, neq́ amplius poſt tãtam cladem ſuorum Caroli aduentus in Liuoniam ſperabatur. Interim Dux ad Comitia Varſouiam proficiſcitur, quem plurimi militum, claudicantes, manibus mutilati, toto deniq́ corpore aduerſo vulnera, imagines virtutum ac nauatæ operæ inſignia, ferentes, vt in eo loco qui eſt amplisſima penus honorum, Regni, digna virtute præmia perciperent. Dux ipſe tantæ ope Diuina, victoriæ autor, circumquaq́ militibus adſtantibus, vexilla, captiuos, in amplisſima Senatorum Ordinis Corona Regi offerens, ſimilibus verbis eſt prolocutus. Auxilio Diuino, auſpicijs Sacræ tuæ Regiæ Maieſtatis, hæc victoriæ trophęa deuicto hoſte, Patriæ, tuo perduelli exiguo numero, ſed magna virtute militũ parta, è tellure Liuonica affero, & ad pedes Tuæ Regiæ Maieſtatis, proijcio &c.

Tum

Tum verò postquam signa & captiuos reddidisset, egregiam virtutem militum & accepta pro Patria, pro Rege, vulnera prædicabat, & Regi commendabat. Vbi inprimis ipseDux tum verò cæteri milites singulari honore, à Rege cunctisq; RegniProceribus sunt affecti, ac in spẽ præmiorum erecti. Inde solutis Comitijs, milites ad stationes stipendiorum recipiendorum gratia, sunt reuersi. In eunte autem eiusdem anni 1606. vere; quædam domestici dissidij faces, in Patria priuatis offensionibus excitatæ exardescere videbantur: toti etiam regno non leuè periculum allaturæ, nisi Diuina bonitas, ita iam desperatis Poloniæ rebus, prouidisset, Regisq; solium præsenti ope firmasset. Hæc dum ita domi fiunt, minor cura ProuinciæLiuoniæ habetur: milites residui, qui in Liuonia erant, emeritis stipendijs, ad alios, intra Lithuaniæ æconomias degentes, se adiunxère. Itaq; rei benè gerendæ talem occasionem nactus Mansfeldius, cum destituta omni præsidio Liuonia esset, domesticorumq; dissensiones ipsi commoditatem porrigerent, colligere militem, atq; eum in Liuoniam, suorum cladem vindicaturus, ire, Duci per exploratores narrabatur. Commotus ergò Dux tali hostis proposito, petitum auxilia ad Proceres Lithuaniæ proficiscitur; verum exiguam manum, ab ijs quibus periculum Patriæ, magis cordi erat, & peculium Li-

uonia

uoniæ indiſcrimen veniens dolorem augebat, re=tulit. Illuſtr. Nic. Chriſtophorus Radiuilus Palatinus Vilnēſis cc. equites totidēq; pedites. Reuer. Benedictus Woyna Epiſcopus Wilnenſis centum equites. Illuſtr. Caſtellanus Wilnenſis Hieronymus Chodkiewicz centum equites, proprijs ſumptibus conductos, miſerunt: cum his in LiuoniamDux reditum properabat. Mansfeldius iam tum graſſabatur, atq; nullo reſiſtente, in Liuonia Epiſcopatus Wendenſis arces aliquot munitas quidem, ſed præſidio deſtitutas, ſurripuerat, videlicet Volmariam, Burtniki, Hermes, & alias. Interim Dux cum milite exiguo peruenit Volmariam, in qua arce præſidiarij quamuis plurimi eſſent, nihilominus Dux fortunam. Æquo amicam (quibus iurgia interſe in Liuonia non inimicitias cum cognouiſſet) tentare audebat. Noctu itaq; (aduerſariorum ſtratagemate vſus) in inſultum exiguam illam manum cum ſcalis miſit. Captum eſt auxilio Diuino oppidum, ſequenti luce arx in deditionem venit: præſidiarij omnes libere dimiſsi. Aliæ poſtea arces ſunt recuperatæ, ita, vt nihil lucri eo autumno hoſtis reportaret & fortuna eos, quâ, abſente Duce noſtro, vſi ſunt, audito cum ſtrepitu armorum aduentante Duce, deſtituit & ludibrio expoſuit. Et quia non omnino extincta periculi flamma videbatur, de eo Dux frequenter ad Proceres gentis referebat, nihil ta-

men

men effecit, cum omnes in eo rerum statu essent, vt ignē domesticū souerent quidā, quidāsopirent, ipse postea ad Comitia quæ Varsouiæ peragebantur, vt periculum Liuoniæ indicaret, atq; auxilia peteret proficiscitur: curam residui exercitus Generoso Andreæ Zborowski alta stirpe & virtutibus illustri consobrino suo demandauit. Cum autem Dux in Comitijs rem Liuonicam promouere conatur, nihil inter linguarum strepitū & intestina odia proficiebat, & quod maximè auersabatur iussu Regis ipse ad restinguendum illud Patriæ incendium est coactus. Dum hæc in patria geruntur, Mansfeldius iterum collectas copias ad Veysteniū duxit, vt nemine extra propugnāte, comodius Veystenio potiretur. At Zborouius excelsi animi adolescēs, cupidus gloriæ, deductis ex arcibus nonnullis peditū subsidijs, cum cc. equitibus hastatis, ad exercitum hostium contendit, (sed neq; omnes quos accersiverat, in promptu adfuère) cum ducentis tantum, in syluis ab exploratoribus securitate itineris deceptus, in hostem incidit, & impar viribus. Quid faceret! virtus fugam disuadebat, famaq; ad mortem dulcius propter Patriam per vulnera iter ostentasbat, magno animo hostem est adortus. Incredibile memoratu quàm exigua illa manus exercitum hostilem duorum millium sustinet, penitusq; sustinuisset, nisi Gallorum cohortes à lateribus, paucita-

tem nostram circumueniſſent, & connixos distraxiſſent. In eo conflictu, Zborouius tanquam fortis adoleſcens strenue pugnans, ſaucius (qui vitam cũ morte cõmutare maluiſſet) in captiuum acceptus eſt. Arriſit tum fortuna Mansfeldio, ita, vt etiam Veyſtenium per inſultum cohortibus Gallorum eò tempore ceperit : præſidiarios omnes arcis in illa ſua fortuna trucidauit. Inter eos fortiter pugnãdo Capitaneus, Ludouicus Gaſiewski & duo Cẽturiones, nobiles Poloni, Ioannes Młodzianowski, & Petrus Byſtrzycki occubuêre. Elatus tali rerum ſucceſſu Mansfeldius exercitum ſuum iſtinc, qui ſex millium erat, Dorpatum promouit : In arce Dorpatenſi veteranus miles BartholomęusWażynski cum cccc. peditibus à Duce relictus erat, (ad quem etiam ſe, ij qui cum Zborouio in pugna fuère multitudine hoſtium diſperſi, receperunt.) Poſtquam Dorpatum Mansfeldius peruenisset, beneficio fortunæ ad Veyſtenium accepto tumidus, & iam illam Deam in ſua geſta iurauiſſe ratus, nullo conſilio, nullo militari iure vſus, (qui enim prius experiri iudicio quam armis debuiſſet) præmiſſis igneis globis, ad incenſionem inſtructis, facto vt in lepores ſtrepitu, per locum vallo ſublimi, & collaterales turres, armatura copioſà munitas, cum ſcalis in inſultum miſit. Et quia fortuna non niſi cum iudicio idq; in rebus arduis, quæſita foueat,

in tali

in tali acceſſu, turpiter Mansfeldium deſeruit. Inſigni igitur hic clade accepta, ad caſtra ſua receſsit. moxq́ deinceps, arctiori obſidione premere arcem & vrbem cæpit, ſed ſemper poſt caſum meliora ſperans in deterius labitur. Iam enim foſſas aggereſq́ & vineas exſtruere, iam machinationes bellicas mænijs admouere, quorum impetu 50. orgijs in latum excuſsis, è duabus iam partibus ciuitatis ad inſultum audentiores in foramen mittit, quod & obſeſsis maximo periculo fuit: qui quandoquidẽ ingenium non profuiſſet, omnes conſtanter pro patria occumbere parati impetui hoſtium ſeſe opponunt. Ex altera parte fæx populi, mulierculæ, minimæ, erant. Non deſeruit Deus pro cultu ſuo pugnantes, vires & animum exiguæ manui dedit. Cæſi hîc in foramine, à militibus; illic à fæmineo imbelli ſexu ad mænia vrbis, vbiq́ conſtrata cadaueribus tellus albicabat: è noſtris præter ſautios aliquot interfectus nemo: incolumes victori Deo grates reddidêre. Poſthæc Mansfeldius meliori conſilio vtitur: infamiam quam apud Dorpatum contraxerat abolere volens,, vſitata celeritate damnum reſarciendum ſperans, equitum aliqua manu e caſtris ſumptâ, relicto in caſtris præfecto Gaſparo Matio Volmariam contendit: quò vbi perueniſſet eodem quo Dorpatum modo, neq́ edoctus, damno prudentiam, per inſultum deſilientibus ex

equis militibus, expugnare conatur. Sed virtute militum (qui ducēti erāt : Præfecto generoſo adoleſcēte Volmaro Farēsbachio) ita repreſſus & pulſus eſt, vt cū in ſcapula ictum accepiſſet, deficiente virtute & fortuna, receſserit. Sub idem tēpus ad Dorpatum Vazinius in aggeribus foſsisq́ obſidentium hoſtium, incuriam, & negligentiam in cubilia irrepſiſſe, proſpiciens, Generoſam nobilitatem, in eam occaſionem reportandi boni nominis, ſeſe proripientem, miſit. Quæ circa meridiem in caſtra hoſtium irruens, epulantes ac genio indulgentes, cædit opprimit, ita vt, ipſe Gaſpar Matius nudus penè, ſolùm talarem vento propellente interulam curſumq́ iuuate, in proximas ſyluas profugerit, multis cæſis, caſtra accepta, & ſigna militaria ſex cum aliquot captiuis. Porrò hic amiſſa quam quæſiuerat, famâ Mansfeldius, Reualiam proficiſcitur: indeq́ petitum Inducias mittit, ſed quia Dux aberat, & Zborouius cui tunc res Liuonicæ commiſſę erant, captiuus in Eſtonia detineretur, literæ ad propinquam Eſtoniæ arcem Fælinum delatæ ſunt, hinc ad Ducem exercitus Ioannem Carolum Chodkiewicz, qui tum Grodnæ, in perſoluendis militibus ſtipendijs morabatur remiſſæ. Dux poſtulatis voluntate Regiâ annuit, ille tamen num hæ è Regio, omniumq́, Ordinum Regni conſenſu concederentur, per literas inquirit, ſed cum

Auten-

Autenticum, tam à Rege ipso, quam à Senatoribus Regni ad Kalendas Octob. accepisset, quieuit. Iamq; tanto interuallo, incolis Liuoniæ intermissa pacis consuetudo redire videbatur: dum à vicinis nihil metuitur: milites inuicem ex Liuonia in Estoniam, & ex Estonia in Liuoniam securè commeant. Reualiæ, quæ est Metropolis illius prouinciæ, solenni ritu in Fanis grates Deo, pro redeunte exoptata in Patriam pace agebantur. Verum Mãsfeldius breui, quas fraudulenter postulauerat inducias irritat, & collectis copijs contra iura gentium & omnem in rebus bello gerendis vsum leuis homo, immemor generis & familiæ suæ, cui fides data erat, inopinante, & securo Duce, ante vel post Kalendas Augusti, cum classe ducens numerosum militem ad Dunamundum appulit. Arcem ad hostium Dunæ, & ad littus maris, in ampla planicie sitam, aquis circũquaq; cinctam, vallo fossaq; altissima munitam, præsidijs commeatuq; firmatam, ab homine quopiam, cuius nomen ptopter generis nobilitatem & maiorum eius egregia in Patriam gesta subticeo, sed ab hisdegenere timido neq; militari, precio emit. Sub idem tempus & Kokonhausium eadem fraude hostis occupauerat. Dum hæc ita geruntur, pax in Poloniam desiderata reuertebatur, & ignes dissensionis ad extremũ sopiti videbatur, Dux cum exercitu, quem maiori ex parte

ære ſuo in negotio Regis conduxerat, ab ea æſtate quæ fuit Anni 1608. ad fines Subſyluaniæ ſub Bereſtia in caſtris detinuerat, percitus his rumoribus in Liuoniam properabat: & antequam Dunamundum hoſtis accepiſſet ad arcis præfectum Dux literas miſit, quibus bona fide, ſe, intra ſex hebdomadarum ſpacium illi ſuppetias allaturum promittebat. Verùm ille hoſtium oppugnatione facile perculſus, citra vllum periculum, venalem proſtituit arcem fidemq; prodidit. Dum hic de capto ab hoſtibus Dunamūdo properanti Duci in Liuoniam rumor affertur, grauis eum mæror, ac totam Poloniam & Lithuaniam inceſsit: milites quoq; qui iam in Liuoniam aduentabāt, tali fraude commoti, eum induerant animum, vt, aut arcem recuperare, aut mori potiùs quam dedecus pati in votis habuerint. Itaq; Dux ipſe vix traiectoDuna, relictis cohortibus quæ ſubſequebantur, ad arcendum, ſi forte immineret, à Curlandia, hoſtem, commiſſoq; regimine Illuſtr. Curlandiæ Duci Vilhelmo, qui earum numerum cccc. equitibus ſuis auxerat, & Rigenſium ſeptingentis peditibus adiunctis, ipſe Dux cum duobus millibus equitum, & trecentis peditibus rectaDunamundum verſus, cupiens thraſonicā ferociamMansfeldij experiri, perſuaſus ſibi tali fortunio inflatum hoſtem, multıtudineq; oxercitus ſui, quippe, cuius numerus ad octo millia accedebat, ipſum

ipsum in arenam descensurum perrexit: quo cum inclinante iam die peruenisset, velitationibus reliquum diei consumptum est, nox certamen diremit. Exercitus tamen instructus tota nocte prelium expectabat. Etenim Dux noster, hostem qui egregio externarum nationum peditatu valeret, nocturno tempore aliquid attentaturum sperabat, qui tamen nihil ausus est. Postera die cum in eo loco hostem ad pugnam euocare nõ posset, acies instructas propius arci admouit, ita vt, globi è tormentis missi inter ordines acierum, frustra caderent: prouocatus ibiq; per tibicinem ne latũ vnguẽ à muris hostis sese exerere audebat. Quare cum nulla spes ãpliùs de hostiũ ad præliũ egressu fuisset, aliquot tãtum inter velitandum cæsis, exercitum ad castellum Nouomolam dictum remouit, atq; illic duobus ferme â Dunamũdo milliaribus, castra metatus est. Verum breui illa castrorum planitie, ob frequentes autumni imbres, instar paludis aquis cooperta, diutiùs sese continere nequiuit, quin exercitum fluuio Milgraph transmisso in commodiorem deportârit locum, in eoq; castra posuerit. Elapso breui tempore, delectos Mansfeldius ex gẽte Germanica & Gallica, milites, cum aliquot schapis tormentorum præsidio oneratis, prius tamen extructo in ipso Milgraph quo Duna illabitur ostio, forti propugnaculo, iactis fossis & aggeribus, in excubias

cubias noſtras immiſit. Quod cum noſtris vigilibus innotuiſſet, illico Dux aliquot centurias, videlicet Samuelis Wołłowicz Caſtelani Nouogrodenſis Nicolai Hlebowicz & Gaſparis, à Tizēhauſen. (quibus Martini Giedroyc Capitanei Wilkomirienſis equites adiūcti fuere) aduerſum hoſtes mittit, hi properātes (hoſtes qui etiā de aduētu præſciuerāt in loco ad vſus militares perquā cōmodo & munito, iā ordine ſtātes inueniūt. Ergo viuida vtrinq; iuuētus, poſtquam ſe conſpiciunt, nullis velitationibus præmiſſis, confligit: Pugnatum eſt ſtrenuè noſtri etſi pauciores virtute tamen ſuperiores victoriâ potiuntur: nihil tormenta quibus ille locus inſtructus erat offecêre, octoginta in loco prælij hoſtes cæſi, in aquis multi ſubmerſi. Ex noſtris vnus cecidit, aliquot ſautij ad caſtra redibant. Interim Dux cum omni exercitu relictis caſtris, hoſtium vires eò confluxiſſe ratus, in auxilium ſuis approperabat, ſed redeuntibus ex conflictu ſocijs & rei feliciter geſtæ exitum narrantibus, in itinere gratulatus eſt. Sæpiùs poſtmodum excurſiones, quibus Mansfeldius vexabatur ad arcem exercebantur, veruntamen nullo modo, iterum copiam pugnæ faciebat. Sub idem tempus Dux partem exercitus, tam equitum quam peditum, ad oppugnationem Kokonhauſij cū aliquot grandioribus tormentis mittit, quò etiam Mansfeldius Gallum quempiam virum ſtrenuum & mili-

militarem, qui se arcem defensurum, atque per integrum annum (erat enim copia præsidiariorum & commeatus relicti) retenturum iuramento promiserat cum viginti lectis militibus, dato certo itineris Duce, miserat. Sed is ab excubitoribus captus, & ad Ducem deductus omnia Mansfeldij consilia, quorum non ignarus erat, castrorum dispositionem, & secretiora mentis aperuit. Ex quo cum ita rem cognouisset, inito cum centurionibus consilio, pro concione militibus rerum gerendarum facilitatem, si consilium sequi vellent, ostendit. Quod ita omnibus, quibus cura nominis quam vitæ maior fuit, placuit, vt nemo, gloriæ cupiditate, pro patria, pro libertate, vitam pacisci paratus non esset, atque si res ferret, pedes castra hostium inuadere auderet. Cum ita iam inter omnes conuenisset, idem Gallus qui iam iuramento fidem præstiterat, (quandoquidem & eorum Gallorum integritas qui fidem Sacræ Regiæ Maiestatis paulo ante secuti ad nos a Mansfeldio defecissent probaretur) cum aliquot equitibus explorandæ viæ causâ, qua commodius exercitus deduci posset, mittitur. Cumque ad castra hostium appropinquasset concitato equo veloci cursu ex oculis sequentium se ad Suecos proripit, immemorque iuramenti, iterum ad Mansfeldium profugit Ducisque nostri de castris inuadendis propositum patefecit. Mansfeldius autem deinceps

ceps vt à captiuis relatũ eſt virtuti ſuorum munitioniq́; , & multitudini militum diffiſus, qualibet nocte ad naues, quæ erant in Duna ſeſe recipiebat, in quibus reliquas noctes agens vitã tuebatur. Dux noſter priore conſilio ob Galli perfidiam minus ſuccedente, aliam affligendi hoſtis rationem init: nimirum naues eius, quæ in Duna fluuio erant, diſturbãdi, aut cõburendi omnem indagans occaſionem & modum: mox cum Primoribus Ciuitatis Rigæ cõmunicato cõſilio, aliquot naues pyritis ad bene incẽdẽdũ, ingenio quorundã hominũ, aptatis inſtruit. Sed primò vt artis effectus melius experiretur, aliquot ſchaphas vulgò Struhij, quæ in eo loco, quem ex vtraq́; parte exſtructis propugnaculis, tormẽtisq́; munitum hoſtis habuit, mittit: quæ decurrẽtes omnem eius claſſem, ita nullo robore nixæ, diſsiparunt atq́; in fugam verterunt. Dux primo rerum dubiarum euentu fortunato lætus, illas eaſdem ſchaphas poſtquam remearunt ad Dunam amnem, deduci & verſus hoſtium naues agi iubet. Nec fruſtra; cum enim panſsis velis remiſq́; impulſæ, celerrimè deferuntur, ita hoſtiles infeſtant naues, vt aliquot, tormentorum fulminibus ictæ, vix iam, abſorbente aquâ, à nautis in mare retractæ ſint. Accepto Mãsfeldius damno, & per exploratores ſuos, Ducis noſtri intentum incendendi & conturbandi naues, expiſcatus, armatas eas, & melius ad pugnam naualem

ualem præparatas, animo in deterius ſuadente, (& qui non niſi grauioribus edoctus iacturis primùm ſapere incipiat) ac noſtratum ingenia, quaſi naumachijs minus idonea contemnente, temerè noſtrorũ molimini expoſuit. Interiectis autem aliquot diebus, naues cum pyritis affabrè inſtructis, ſecundis ventis (præcedebant tamen eædem ſchaphæ ne ſtratagema apareret ſpeculanti Mansfeldio præcurſantes) in ipſo tenebrarum, & lucis confinio, multis nobis cum Duce ſucceſſum ſpeculantibus, aduerſus hoſtium claſſem miſſæ ſunt : quarum vna cum ad naues Sueticas accuriſſet, primæ omnium maximæ alliſa, incendium immiſit; præteriens tandem ſecundam, tertiam & quartam, viſcoſo ignem concipiẽte bitumine incendit. Primâ vti maxima, ita omnium fortiſsima, quæ quadrigentos ferme, & triginta ænea tormenta ferebat, inflamatà fragror ingens edebatur; cum incenſa tormenta & pulueres quorũ erat magna copia in nauibus inſtar tonitruũ tonarãt & voces miſerabiles auxilium fruſtra implorantes audirentur. Tali riſus Mansfeldio conſtitit precio. amiſsis quatuor nauibus tota claſsis Carolina, quæ quadraginta nauibus conſtabat, pulſa in altum, vno a litore milliari, retrocelsit. Atq; ita perterritus Mansfeldius confeſtim equitatum ſuum qui duorum millium erat, nocturno tempore Parnauiam miſit. Id vbi per exploratores Duci ſignifi-

catũ ẽ, mille equites q hostes persequerẽtur, sum̃a celeritate expedit, sed hi ad fluuium Gauiam aduolantes, traiecisse Suecos reperiunt, ideoq; vlterius difficili transitu prohibiti ad castra redierunt. Mansfeldius ipse adhuc in exstruendo altero vallo ad Dunamundum immorabatur: ita enim maturabat opus, vt labore graui operarij trecenti fere exanimati fuerint. Ita moles ingens intra decem hebdomadarum spacium, alta decem, lata sex cubitos, arcem plus mille passibus ambiens stetit. Hîc mille præsidiarijs relictis, commeatu amplo suppeditato, exustis propugnaculis, commutatis tormentis, cum reliquo milite pedestri ventorum tractu Parnauiam nauigauit. Frigoribus autẽ ingruentibus. Dux noster cum tot occasionibus quæsitum prælium non obtinuisset, militibus hyberna in Liuonia assignauit, ipse quoq; in eadem Prouincia, mansit. Secutum tempus postea Comitiorum, quæ Varsouiæ celebrabantur: Mansfeldius qui tum adhuc Parnauiæ erat, Ducem nostrum ad Comitia profectum opinabatur. Sed prudens Dux aliud in animo gerebat, (negotium Liuonicum literis suis Regi trasmisit) quippe nulli militũ cõsilio patefacto ipsis Bachanaliorum ferijs, quo tẽpore homines prauo habitu, crapulæ, luxuiq; turpi indulgere soliti sunt, sobrietatis amans Dux, Patriæ inuigilans, laboribus assuetus, exercitum octingẽtorum equi-

tum

tum, ducentorum peditum collegit: frigore nimium sæuiente, exiguo viatico sumpto, quantum quisq; eques secum ferre potuit, declinans vicos, fugiensq; rusticorum congressus, nullis ignibus vsus, exercitum veloci motu Parnauiam ducebat: Cumq; iam vno milliari ab vrbe abesset, cælo tenebrescente, nec quicquam hoste de aduentu nostro suspicante, medium noctis expectauit, eoq; tempore milites ad ipsa mænia accedere iussit: sed tum res ob paucitatem peditum non successit. Perspecto nihilominus ea nocte situ loci, accessu commodo, exercitum in syluas remouit: sed quia frigora intollerabilia erant, ideò compositi ignes, quibus sylua collucebat & fumus hostibus insidias prodidêre. Oppidani tamen Ducem adesse cũ exercitu non credebant ex arcibus vagabundos prædę causâ milites excurrisse rati. Dux tota die ob detrectatum à peditibus opus solicitus, vergente iam ad vesperum die, militũ animos, exãtlatorum laborum, pietatis in Patriam, religionis erga cultum Diuinum, commemoratione & gloriæ dulcedine ad pulchrum facinus alliciebat. Assentiunt vnanimes descendere ex equis, ire in insultum, aut mori pro Patria, aut vincere parati. Hæc cum equitatus; pedites eodem ductu, obliti paucitatis suæ, incensi, magnum animum gestantes ausus suos similibus pollicitationibus Duci obtulerunt. Fit interea alacris omnium

 præpa-

præparatio, Itaq; alterius noctis horâ circiter duodecima implorato pri9 cęlesti auxilio tã pedites quã equites operi sese accingunt. Diuisus erat exercitus; Duæ legiones in equis ad duas vrbis partes hastis demissis excubiarum aspectum fugientes progrediebantur. Tertiæ autem legionis equites Duce præcedente ibant, cũ ijs Christophori Chodkiewicz Castellanidę Vilnensis, generosi iuuenis vexillũ aliud Benedicti à Vall. equitatus in societatẽ periculi acceptus procedebat. Hos duo vexilla peditũ Scotorum & Polonorum cum Vngaris sequebantur. Incredibile memoratu quàm subitò nimborum densissimorum tenebræ cesserint & Luna ita copiosum diffuderit lumen, vt & facies agnosci & armorum fulgor à quouis conspici potuerit. Quod vel ideò Diuinum numen, præstitisse credimus, vt in maiori discrimine, maximnm auxilium suum, nobis se præbuisse ostenderet: nam quamuis frequentia tela, in nostros mitterent, omniq; genere missilium hostes vterentur, nostri tamẽ quibusdã machinis, quas Pætardas vocamus, ad portam accedẽtes, applicatis eiciunt valuas triplices: irruunt cateruatim in vrbẽ, pars ascendit & occupat vallum, pars aduersos vrget & obtruncat hostes, ascendentes quosdam arcis vallum, detrahunt. Deditur arx: Dux antequam arcem ingrederetur cum militibus ad Fanum Diuæ Virgini Mariæ sacrum diuertit,

ibiq;

omnes lætum D. Ambrosij Hymnum concinentes Deo victori & triūphatori grates reddiderunt. Gratiæ deinde militibus à Duce actæ, Insignis, exigua manu, sed magna virtute militum parta est tunc victoria. Ex nostris circiter viginti cæcidêre, triginta fere saucij hostium plurimi cæsi: Cum Dux introduceretur ad arcem captiui aduoluuntur pedibus misericordiam implorantes, sed ille qua semper vsus est in uictos modestia, acceptis aliquibus in captiuos, reliquos vita & impunitate donauit, quosdā etiam in stipendiarios aggregauit: ciues vitam & religionem retinuerunt. Grèx fæminarum honeste dimissus quarum plurimæ nobiles Estonenses Ducis iussu proprijs ædibus restitutæ sūt. Tali successu rerum vsus Dux, nouo milite præsidia trecentis videlicet lanceatis, centum sclopetarijs equitibus, arcem firmauit pedestres: omnes qui in expugnatione erant ibidem relicti, commeatus quoq; quantum breui cò tempore comparari potuit suppeditatus, reliquos milites in stationes suas dimisit. Totum illud itineris tempus, quod quinq; hebbomadarum erat in frigore intensissimo peregimus. Postmodum imminente Anni 1609. vere, vix aliqua à laboribus respiratione vsi, primò post pascha tempore, in eum locum, qui castris destinatus erat, conuenimus. Dux ipse ad hostium Dunæ duo ex vtraq; parte fluuij loca propugnaculis erigendis

gendis apta, deligit. Trans fluuium in loco, cui contiguus Cursorum fundus est, Rigenses composito cum Reipub. ære, construxerunt. Aliud verò cis amnem in fundo Dunamundensi industria sua Dux perfecit. In Duna quoq; fluuio tres bellicas naues totidemq; triremes tormētis onustas disposuit. Rigenses in suo propugnaculo, proprio sumptu quingentos pręsidiarios tota æstate alebant, tormenta ex armamentario Regio sufficientia habuêre: alterum verò peditibus centum & viginti tuendum Dux commisit; ipse vero ad castra se contulit. Interim ad festumDiui Ioannis Baptistæ Clafsis Carolina quæ 46. nauibus constabat appulit. Dux vt solent venatores iactis in feram laqueis, (si hostis Dunam intrare voluisset) ad propugnacula præstolabatur, sed ille tali Dunæ munitione cognita, nihil audebat, tandem retrorsum ductas naues ad illud littus, cui imminet mons Pontificus direxit, & admouere vt illac Dunamundum irrumperet, conatus est. Dux noster aliquot è proximò propugnaculo tormentis acceptis naues omnes cum detrimento hostis procul in mare abegit. Dum ita Mansfeldij impediuntur conatus, iterum naues, vnam quidem Pyritis instructam, sex autem alias cum tormentis, post aliquot septimanas, secundo vento, ad veteris Dunæ obstructos arenis meatus, vt vi obstacula penetrarent

rãt misit: sed quam ille audaciam in adeundo littore, eandem in defendendo Dux in omnes conatus hostis circumspectus, adhibuit. Paratas quippe habebat triremtis, tormẽtes munitas; dum propius ad littus accelerant è triremibus tormentorum iaculis naues impetit ita, vt vna nauium ictu quassata in profundum descenderit, reliquis nõ sine detrimento recedentibus. Cum & hoc molimen Mansfeldio non profuisset, iterum fortunam tentare & nouo stratagemate vti decreuit: trabes videlicet oblongas mediocriter crassas frequentibus ex omni parte præfixas acutis ferramentis, ita, vt in quamcunque mitterentur partem, hærerent, & accessum præsertim equitibus praecluderent, quæ quasi plateam vtrinque cingerent, collocare intendens, & ita fosfis ductis, os veteris Dunæ quò cõmodius schaphis commeatum in arcem importaret erat aperturus. Antequã tamen id perficerent virum militarem & nandi peritum è nauibus, quæ ad quingentos passus à littore erant, qui auxilium afforre Dunamundensibus narraret, mittit, is postquã natando fluctꝰ superasset ab excubitoribus capitur & ad Ducem deducitur: ex quo de tali hostium consilio, etsi irritem & ridiculum videbatur Dux certior factus, locum illum fosfis aggeribusque, positis tormentis muniuit. Quod opus hostis e nauibus suis intuitus superfluo labore supersedit, nauibus in altum remo-

 tis,

tis, cõtra quas Dux tranquillo mari, tres triremes mittit: Incredibile dictu quã tota illa classis, à tribus triremibus graui iaculorum inflictu confecta, sine vllo nostrorum discrimine pulsa sit. Infectis itaq; ad Dunamundum rebus Mansfeldius Reualiam soluit, ibiq; collecto maiori exercitu, omnem militem Parnauiam deduxit, ac obsidione vrbem & arcem ad littus maris in loco decliui sitam, cinxit, fluuius Parnaua, qui nomen vrbi dedit, ad mare ad mænia arcis allabens planiciem, in qua ciuitas iacet hemicyclari circuitu claudit. Ab arce & vrbe vnde planum incipit, campus quantum mare ex vna, ex altera parte fluuius finit, protenditur, pinetis terminatus. Hic hostis castra sua, à mænibus vrbis mille passus locauit: vtramq; castrorum partem, quâ Parnauam & quâ Rigã spectãt fossis duobus cubitos altis, in lõgum ductis sepsit, aggeribus clausit: ad ipsum verò maris littus, vbi ageres desinebant, Propugnaculum eminens quadratum cespite intertextum erexerat. ex opposito propius vrbem aliud ex pluteis corbibusq; contextum erat: ad ripam fluuij versus syluam tertium: e regione huius quartum ex cespitibus pluteisq; cõgestũ erat: quatuor minora in medio campi, aggeribus fossisq; munita cernebantur: Inter illa duo ad littus maris per planitiem aduentus noster expectabatur, ideoq; trabes per medium infixis hastis hærentes, quæ vadum impenetrabil

redde

redderent collocauit, atq; hoc pacto vnam vrbis partem nobis obstructam voluit. A veteri autem Parnauia, ad ripam fluuij propugnaculum vimnie cespite, pluteis & corbibus firmatum ædificauit, in quo præsidiarij ferme ducenti, quinq; tormenta, ex his duo maiora, erant. Huic oppositum in ostio fluuij Luba, qui in Parnauam amnem sese exonerat aliud Propugnaculum statuerat. Quæ omnes substructiones egressum ex vrbe nostris præcludebant. Atq; dum hoc modo Parnauiam obsidet Mansfeldius post breue tempus, tubicinem ad præsides arcis, misit excidiū ni se dederent minitans, iterūq; per literas hortatus, responsum accepit: Non ad Dunamundum rem Mansfeldium habere, neq; cum eiusmodi, qui minas eius extimescerent, quinimò oppugnationem expectare, mirariq; diuturni temporis ocium. Nobilitas enim auitis clara virtutibus, mori potius quàm arcem prodere elegerat. Permotus tali respōso Mansfeldius amplius missitare non audebat, sed obsidionem continuandam, fame nostros in deditionem cogendos statuerat. Rebus ita ad Parnauiam stantibus, Dux sub Dunamundo exercitu in castris relicto, ad Serenissimum Regem Sigismundum petitum auxilia Vilnam proficiscitur: sed exiguis impetratis ad castra reuersus est, tum ob paucitatem exercitus maxime, peditatus ex Polonia confluentis inopiam, tum ob arctam Parnauiæ

obſidionem, cui commeatum defeciſſe intellexerat, anxius: Diuinæ tamen miſericordiæ & bonitati, præſidumq́ fidei toties ſpectatæ negotium committebat. Interea temporis pedites ex Polonia veniunt, præterea equites & pedites ab Illuſt. Nicolao Chriſtophoro Radziwil trecenti miſsi ductore, filio Illuſtr. Alberto Radziwil, ab Hieronymo Chodkiewicz Caſtellano Vilnen. centum pedites iam aderant. Collecto itaq; quatuor ferme millium exercitu, relictis in caſtris nongentis, (quibus poſtea Illuſt. Ducis Curlandæ Friderici vexillum equitum Germanorum, & aliud Piltinentium Nobilium, & tres circiter Decuriæ. haſtatorum equitum Adami Talwoyſz, cum filio Nicolao Talwoſz acceſſerant) in ſubſidium Parnauiæ Dux proficiſcitur. Porrò nõ minori erat curę Duci Parnauiæ obſidio, quã Dunamundi recuperandi negociũ, qui maxime, ne mari ſuppetias hoſtis afferre conaretur, arci metuit: caſtris nihilominus inſtructis, ipſe cum exercitu qui ferme trium millium erat, Parnauiam iter ſuſcepit. Manſueldius aduentu Ducis cognito, cum iam medium itineris ſuperaſſemus, in locis ad inſidias aptis miſsitando militem ſub exercitum noſtrũ, tranſitum impediebat, cumq; iam ab vrbe Parnauia ſex milliarium interuallo abeſſemus, ad vicum Reſticulam, in loco, præter quem nullus commodior, in illa ſyluarum denſitate erat, caſtra poni iuſsit:

quæ

quæ perexigua erant propter cætera adDunamundum impdeimenta relicta. Mansfeldius quoq; non procul ab eo loco cum exercitu ſuo vt, captiui retulere, erat, & mero militibus propinato tenebras commodiſsimum inuadendi caſtra noſtra tempus, expectauit. Vix tantum temporis elapſum erat, quo arbuſta circum caſtra humi hærentia (obſtacula à Duce prudenti præuiſa) excinderentur; exiguus enim erat campus, quem ad læuam amnis ſaxoſus alluebat, vndequaq; ingens ſylua. Cumq; iam in occaſum ſol properaret, excubiæ permutantur, & ad inſidias ſtruendas pedites ducuntur quidam, quidam ad amnem in decliui loco, quà hoſtis expectabatur cum tormentis à Duce ponuntur. Viſum interea erat annuente Duce militibus, qui iam ſerum diei in aciebus ordinati peregiſſent, feſsis diurno nocturnoq; itinere equis, nonnihil leuaminis impertiri, rurſus verò imminentibus tenebris in ordinē redire, & ita ſi forte inuaderet, hoſtē præſtolari. Sed ecce, nondum rebus ita ſtantibus, tenebras & omnem apparatum, ſubitò tota vi ſua caſtra noſtra hoſtis irrumpens, anteuertit, ſed quia in pedites & tormenta incidit, à caſtris arcebatur, audentiores tamen quicunq; in caſtra penetraſſent á calonibus & & lixis cędebantur. Dux conſcenſo equo, per caſtra curſitans pedites reliquos, quà irruptionem

verebatur submittebat, interim equites, prudentia sua, forti nec intrepido ad omne periculum animo, ordinabat, & intra aliquot horæ minuta, aciem instruxit. Pedites itaq; illum impetum hostis sustinuêre: ex equitibus, præter duos Farensbachios Vlodimirum, & Ioanem, illum Gallicarum cohortiũ præfectum, hunc equitum Germanorum Centurionem, nulli cum hoste congrediendi copia fuit concessa. Sed omnes tum propter angustias loci, tum etiam propter insidias nocturnas in acie, omnes in frontem vndiq; instructi, totam noctem insomnem duxêre, peditibus in loca insidijs suspecta retentis. In illa tamen tam acri pugna, quæ tribus noctis horis durabat, à peditibus & paucis equitibus repressus hostis, in turpem fugam ad strepitum foliorum contremiscens nemine insequente terga vertit. Cæsi ducenti circiter, capti aliquot, signa militaria quatuor accepta: è nostris præter tredecim cæsos viginti & aliquod sautios, reliqui incolumes. Postridie, ad meridiem cum iam Dux exercitum recta Parnauiam promoueret, exploratores indagandæ viæ causa missi, accurrunt, de insidijs ab hoste structis deq; obruta succisis arboribus viâ, narrant. Mox exercitum Dux cohibet, consilium à præfectis equitum, quid in tali casu faciendum esset explorat: Tandem visum erat, eadem qua venerant

viâ

viâ, exercitum præmissis impedimentis, quinque milliarium spatio, eodem serò iam die retrahere, atque ita fugam comminisci. Sequenti luce ex eo loco, vbi pernoctarat, misso prius obsessis de rerum progressu nuncio, viam Felinensem arripuit. Hostis in fuga nos esse ratus, vti vestigia etiam retro conuersa ad quatuor milliaria præseferebant, ouans, ad sua propugnacula rediit, simulque ad obsessos de strage & fuga nostrorum refert. At generosa nobilitas quæ in arcis præsidio erat, nihil eius figmentis commota, eò alacrior esse cepit, atque grauius hostem, excursionibus premere. Sub idem tempus Propugnaculum hostium ad amnem Lubam exstructum, incendio tollunt. Interim nos per loca abdita & perquam transitu difficilia, itinere aliquot dierum accumulato, insidias euitando pereximus. Quod vbi de nobis exploratores Mansfeldio significant, aliquot militum cohortes insidiandi gratiá ad templum Diui Ioannis, locum insidiis idoneum, præmisit. sed Ducem latere non potuit, quin viâ quæ ad Lode ducebat relicta, aliam à dextris susciperet: aliquo tamen equitatu qui eluderet hostem misso. & licet per loca paludosa, inuia, & trãsitu difficilia eundum erat, tamen difficultatibus superatis, viam Abselensem attigimus: sed quia impedimenta nostra itineris molestia impedita tardè

suts-

ſubſequerētur, & equi abſq; paſtu & nos abſq; cibo duos dies grauē inedia ſed etiā pluuiæ iniuriam paſsi ſumus. Tędioſum nimis erat militibus iter, clamores & querimoniæ in Ducē properantem ferebantur. Ille omnium patientiſsimus properabat, vt quam ocyſsimè veterem Parnauiam perueniret & propugnaculum (antequam hoſtis aduentum cognoſceret, expugnaret ac omnibus obſtaculis ſolueret. Iam vltimis duobus viæ milliaribus, ex eò loco vbi pernoctatum eſt, vigiles præmiſsi in viginti Suecos palantes caſu incidunt, duos tantum viuos reliquis interfectis, ad Ducem adducunt: ex quibus cum formam & præſidia Propugnaculi cognouiſſet, eo die, (etſi ante veſperum perueniſſet) ab oppugnatione abſtinuit, interea peditibus laſsis tempus quieſcendi conceſsit. Poſtera die auxilio cæleſti munitos in inſultum hora diei nona matutina miſit. Pugna vtrinq; acerrima fuit, nam & præſidiarij obſtinati, per tubicinem moniti, vitam potius quàm deditionem offerebant. Expugnatum tamen eſt, omnes trucidati, è noſtris cæſi ſeptem; peditum centurio Ioannes Przeczyſzewski dum ſtrenuè ſuis pręit occidit: plures quam viginti ſautij, reliqui incolumes victoriam obtinuêre. vexillum vnum, tormenta quinq; ex his duo grandiora, accepta ſunt. His ita actis Luba fluuius tranandus erat vt eo citius cum hoſte decerneret, iam forte hoc Mansfeldius præſentiſcens

omni-

omnibus illis ſuis propugnaculis deſertis, è caſtris exceſsit Parnauamq; fluuium traiecit. Dux exſtructo interim in Luba ponte, aliquos ex equitibus, qui hoſtem prouocarent miſit; ſed quia pauci noſtri in eam velitationem præceſiſſent, pedites quoq; ſi forte illi non ſuſtinerent, in ſubſidium & inſidias, fluuium traicere iuſsit. Igitur multitudini Gallorum á Mansfeldio miſſæ cedunt noſtri & lento gradu eã ſuſtinentes ad põtẽ deducunt: proripientibus ſe ijs, qui in auxilium ſuis deſtinati erant, & contra hoſtẽ, contendentibus pons ſubſidit, ita vt vno ſubmerſo, reliqui vix periculum euaderent: vnde qui hoſtem primò ſuſtinuerunt, non niſi peditum auxilio fulti erant, è tormentis etiam & bombardis emiſſa iacula hoſtem reprimebant. Equites demum per vadum amnem ſuperantes, Phalanges hoſtium, in fugam verterunt. Eadem ergo nocte Mansfeldius vbi pontem & vadum, quâ noſtris contra ſe acceſſus patebat, aduertit, per loca paludoſa ad munitiſſimum locum, exercitum ſuũ deduxit, ibiq; a tergo vno á caſtris noſtris milliari ſua metatus eſt. Certa ſpe Dux futuri conflictus, cum animoſo milite tenebatur, Et quamuis maxima fame inediaq; iã multorum dierum preſsi milites, vnanimiter tamen ſentiebant eum tenere locum, qui commodiſsimus ad prælium viſus erat, vtpote per planitiem oblongã, à ſiniſtra, mari; a dextra manu amne circumuectus

& rutilantibus pratis virentem ſinuatus: ſed in eo loco duas ferme hebdomadas expectantibus nõ audebat ſe ſe opponere hoſtis. interim commeatus aduehebatur, quo prouiſum eſt arci, tum Dux caſtra ſua ad viam Parnauienſem, qua nobis primò euntibus acceſſum, hoſtis prohibebat, transfert, atq; vnius milliaris interuallo ab vrbe Parnauia metatur. Dux & quamuis in eum locum commigraſſet, in omnem tamen hoſtium motum diligenter excubabat, & longam trahentes moram, ſuos milites qui laceſſerent miſsitabat. Sed cum illi latibula potius quàm certamen ſpirarent, relictis in vrbe præſidiarijs ſexcentis peditibus, & quinquaginta equitibus, ſequenti luce caſtra verſus Dunamundum promouere conſtituerat, abitumq; præparabat. Cæterum eodem die perfuga quidam mille peditum acceſsione, Mansfeldij caſtra aucta eſſe, ſed nõ animum edocet, idemq; initum ab hoſte conſilium, itineris ad Dunamundum cum omni exercitu ſuſcipiendi ac ſuccisione arborum in locis tranſitu difficilibus curſum noſtrum retardandi, quo maturè ſubueniret arci, aperit. Poſtquam hæc Dux noſter cognouit, ſtatim impedimentis præmiſsis, ipſe ſera nocte relictis in loco caſtrorum ignibus cum exercitu ſecutus eſt. Et licet denſiſsimis nox illa horrida tenebris pluuiaq; moleſta maximò nobis loca illa tetra & aſpera ſuperãtibus, faſtidio eſſet, maximam tamẽ

tunc

tunc anguſtiarum viæ partem cōfecimus, reliquum ſequenti die exauſtum eſt. lento gradu deinceps vſq; ad ipſa ſub Dunamundum caſtra peruenimus, vix hîc dies octo quieti ſunt dati, quibus de hoſte nihil audiebatur, cum ſubitò exploratores de aduentu Mansfeldij nunciant. Res ea cunctis mira accidit, quod āte in eo loco commodiſsimo, cum exigua & feſſa noſtrorum manu congredi non auderet; hîc vbi mille & ducenti nobis in auxilium acceſſerint, & vires redintegratæ eſſent (nam licet equites firmiores fuèrant, pedites tamen, qui non ſolum longo itinere feſsi, ſed etiam fame confecti erant, qui tribus hebdomadibus abſq; vllo panis vſu, rariſſime, ſi quando intercidèrent equorum, carnè veſcentes, acinis ſorbi ſolum & alio fructu, acido ſylueſtri vitam ſuſtentabant) prælium quæreret. Itaq; cum id primo incredibile videretur; Dux Koſakos explorandi veri gratià miſit, qui redeuntes captiuos Duci adducunt, ac rei dubiæ fidem faciunt. Ergo ad arma conclamatur: ea quæ vſui forent neceſſaria parantur. Atqui iterum exploratores hoſtem ad Gawiam fluuium perueniſſe ſignificant, & à caſtris non niſi duobus milliaribus abeſſe. Egrediuntur itaq; noſtri, obuiam properant hoſti, qui tamen eo die nihil attentauit ad Gauiam moratus. Omni interim indagine diſpiciebat vtram Dux noſter arriperet viam, eamné quæ ad caſtra, ex quibus

concesseramus duceret, an quæ pone littus maris Dunamundum spectaret. Si castra à direptione tueri vellet atque illud iter teneret, se rectà eo ad Dunamundum irruptionem facturum cogitabat. Dux ad omnes hostis conatus intentus, eodem vespere omnem exercitum sub montem Pontificium, ad littus maris promouit, & tota nocte instructis aciebus hostem præstolabatur. Postera die ad velitandum missi, captiuos Duci adducunt, hi omnes hostem ferro decernere paratum asserunt. Vnde summo dilluculo, velitum duo vexilla, tertium equitum Germanorum in eum locum, qui pridie delectus prælio erat, præmisit, vt à castris prædas arcerent, & de hoste quò se verteret significarent. Interim conspiciebantur hostium signa nigrescentia inter pineta, nunc hac nunc illac, cursitãdo tergiuersari videbantur. Dux noster eundem locum retinebat, veritus ne hac ad Dunamundum penetraret hostis, & licet castrorum iactura maximam adferret solicitudinem, hoc tamen minus malum eligendum putauit, satius, quam viâ ad Dunamundum aperta, grauius incurrere. Cum itaque ad castra hostes irruere dicerentur, septem vexilla equitum (Illustr. Friderici Curlandiæ Ducis, nobilium Piltinensium, Gasparis à Tyzenhausen. Benedicti á Vall. Valteri Platembegk. Wlodimiri & Ioannis Farensbachiorum) tum Germanorum, tum Gallorum præsidij gratia misit, hi cum

hi cum ad castra aduolant, tribus primo signis præeuntibus, hostem ad portam castrorum conspicati reprimunt; acriter vtrinq; concurritur: sed quia multitudini hostium resistere non poterant, cedunt, in campum à residuo hostium exercitu procul, qui in collibus ante castra cum Mansfedio manserat plus mille quingentos passus abacti: erat hoc commodo quod casu fiebat. Dux noster suis ita elusis opitulatur⁹ octo vexilla equitũ, hastatorũ Theodori Lacki Thomę Dãbrowæ, Alexãdri Holowczynski, Nicolai Hlebowicz, præfecto Gasparo Piotrowicz, Ianusij Kiszcę. Andreæ Wollowicz, præfecto Ioanne Paplinski, misit. Sed quia paludes rectà transitum præcludebant, quidam summo conatu per illas palustres lacunas, ac hirtos saltus perrumpebant, quidam flexuoso calle circumibant: illi qui numero pauciores, scilicet trecenti, superata palude in pedites contoferos (qui in difficili ad incursum equorum loco conglobati erant) incidunt & trecenti in septingentos animosè impetum faciunt. Sed ter inuecti, ab hostibus ter repriumuntur, donec tandem Mars æquitati cederet palmam, ac in perduelles frustra, renittentes contorserint hastas. Alij vero tardius quidem aggressi, non minus tamen validè cum equitatu conflixêre. At vero illis duobus exercitibus, quibus ipsi præerant Duces, vter prius lo-

cum defereret, maximè curæ fuit. Mansfeldio Dunamundi retinenda poffefsio, potior erat: quam fuorum ad caftra noftra ftrages. Qui enim ad Parnauiam quoq; minus profpere dimicaffet, nifi Dunamūdum nouis auxilijs ftabiliret nequaquam Sudermano operam fuam probauiffet. Quare omnes adhibuit conatus ne tam nobili fpolio exueretur. At Dux nofter hoftis arte perfpecta, contra audentior ibat, ita vt quocunq; intenderet hoftis obuios habuiffet noftros, qui tamen rem vniuerfæ dimicationi committere non aufus, à noftris incertamen deduci non poterat, machinarum folum iaculis nonnihil detrimenti accepit. Interim illi milites qui ad caftra rem ftrenuè egerunt, ac hoftem profligarunt, quibus virtus victoriam & gloria vires dederat, non illa cæde fatiati in ipfum quoq; Mansfeldium, quandoquidem & faciliorem & propiorem aditum habuêre haftas vibraturi effufo curfu ferebantur, Dux quoq; nofter cū exercitu per paludē eodē, nitebatur. Sed ille virib9 diffifus fuga fibi cōfulēdū pedibufq; falutē quærendā cenfuit. Infequuntur noftri, ita vt die deficiente, cædes iuxta ac vires feffæ defecerint, vnde reuerfi ad montem Pontificum, (ne hoftis noctu mari vltimam tentaret belli aleam) excubias egêre. Multi tunc mortalium miferando immolati letho. Præfertim ad caftra, qui locus à leua manu, eminētiores colles habet, quos præteriens amnis alluit, à

dextra paludes inhærentibus arbustis, planicies qua itur Riga in longũ inter lacum, & paludes protẽditur. Vbi septingenti pedites lanceati, omnes in vno prælij loco cecidêre. ex equitibus trecenti ferme trucidati ducenti capti, signa militaria. 12. tormenta omnia quæ hostis habuit accepta sunt. E nostris viginti & aliquot pro Patria nobilem oppetiêre mortẽ, septuaginta ferme vulnerati. Postridie quæ omnibus post victoriã lętissima solet esse, Dunamũdenses qui tanquam è proscenio è mænibus exitum tragædiæ illius spectabant ad Ducis misericordiam sese cõtulêre. Quibus Dux solita sua modestia, datis conditionibus quibusdam, benignè indulsit. Ita arx fortissima, quæ nullius hostis vim extimuit, dolo amissa sanguine recuperata est. Vltima hæc Decennalis laboris in Liuonia suscepti scena, felici exitu est terminata, quando omnes Liuoniæ arces (præter Propugnaculum Saltz quod hostis exstruxit & retinet) Dei præpotentis clementia, Regis Serenissimi fortuna, Ducum fortissimorum Prudẽtia, militum robur ac fortitudo in primæuã possessionem vindicatas, Patriæ asseruit.

LAVS CHRISTO DEO CVIVS vicimus hostem.

Menda tibi ſic emenda.

Immitabuntur, in præfatione, verſa pagina imitabuntur. Molcraczēti, Molcraczenſi, Numero 7. ℣. 24. eximbribus, ex imbribus Nur. 11. ℣. 18. aſtatis haſtatis Num. 16. ℣. 7. vtiſq; vtriſq; Num. 18 ℣. 6. fuſts fuſis Num. 20. ℣. 3. monat nouerat. Num. 21. ℣. 6. deportetur deportatur Nur. 24. ℣. 24. commonita, communita Nur. 35. ℣. 3. Interfectoum, interfectorum. Num. 41 ℣. 15. oſtentasbat, oſtentabat Num. 45. ℣. 23. Orgijs Orgijs Num. 47. ℣. 8. hoſtiũ oſtium, Num. 49. ℣. 16. oxercitus, exercitus Num. 50. ℣. 26. Inflamata, inflammata, Num. 59. ℣. 17. tonarant, tonarent, Num. 59. ℣. 20. in exſtiuendo, in exſtruendo. Num. 60. ℣. 5. ſænıente, ſæuiente. Num. 61. ℣. 2. penetrarant, penetrarent Num. 65. ℣. 1. tormentes, tormentis Num. 65. 4. irritem, irritum. Num. 65. ℣ 24. ageres, aggeres. Num. 66. ℣. 18. triremtis, triremes Num. 65. ℣. 4.